

Sala R
Gab.
Est.
Tab. 3
N.º 21

R
3
21

7

# KALENDARIUM GREGORIANUM PERPETUUM.

R
3
21




...THECA DA UNIVERSID...
36107
COIMBRA

CUM PRIVILEGIO.

CONIMBRICÆ.
¶ Excudebat Antonius à Mariz Vniuerſitatis,
Typographus. 1583.

*Licença do Supremo Conſelho da S. Inquiſicão*

¶ Poderſea imprimir o Calendario Gregoriano. Em Lixboa 7. de Ianeiro, de 83.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Manoel de Coadros.* | *Paulo Afonſo.* | *Iorge Sarrão.* | *Antonio de Mendoça.* |

¶ Autoritate Ordinaria, dou licença que ſe imprima em Coimbra 31. de Março de 83. Biſpo Conde.



¶ GREGORIVS EPISCOPVS
*Seruus ſeruorum* DEI*, ad perpetuam rei memoriam.*

INTER grauiſsimas paſtoralis officij noſtri curas, ea poſtrema non eſt, vt quæ à ſacro Tridentino Concilio Sedi Apoſtolicæ reſeruata ſunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore, perducantur, Sanè eiuſdem Concilij Patres cum ad reliquam cogitationem Breuiarij quoque curam adiungerent, tempore tamen excluſi rem totam ex ipſius Concilij decreto ad auctoritatem & iudicium Romani Pontificis retulerunt. Duo autem in Breuiario præcipue continentur, quorum vnum preces, laudesque diuinas feſtis, pro feſtisq; diebus perſoluendas complectitur, alterum pertinet ad annuos Paſchæ, feſtorumque ex eo pendentium recurſus, Solis & Lunæ motu metiendos. Atq; illud quidem felicis recordationis Pius V. prædeceſſor noſter abſoluendũ curauit, atq; edidit: Hoc vero, quod nimirum exigit legitimam Kalẽdarij reſtitutionem, iamdiu à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & ſæpius tentatum eſt, verum abſolui, & ad exitum perduci ad hoc vſq; tempus nõ potuit, quod rationes emendãdi Kalendarij, quæ à cœleſtium motuũ peritis proponebantur, propter magnas, & fere inextricabiles difficultates, quas huiuſmodi emendatio ſemper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Eccleſiaſticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandũ erat)

ſeruabant. Dum itaque nos quoque credita nobis, licet indignis, à Deo diſpenſatione freti, in hac cogitatione curaque verſaremur, allatus eſt nobis liber a dilecto filio Antonio Lilio artium & medicinæ doctore, quem quondam Aloyſius eius germanus frater conſcripſerat, in quo per nouum quēdam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipſius Aurei numeri normam directum, atq; ad quamcumque anni ſolaris magnitudinem accōmodatum, omnia quæ in Kalendario collapſa ſunt, cōſtanti ratione, & ſæculis omnibus duratura, ſic reſtitui poſſe oſtendit, vt Kalendariū ipſum nulli vnquam mutationi in poſterum expoſitum eſſe videatur. Nouam hanc reſtituendi Kalendarij rationem exiguo volumine comprehenſam ad Chriſtianos Principes, celebrioreſque vniuerſitates paucos ante annos miſimus, vt res, quæ omnium communis eſt, cōmuni etiam omnium conſilio perficeretur, illi cum, quæ maxime optabamus, concordes reſpondiſſent, eorum nos omnium conſenſione adducti, viros ad Kalendarij emendationem adhibuimus in alma Vrbe harum rerum peritiſsimos, quos longe ante ex primarijs Chriſtiani orbis nationibus delegeramus: ij cum multum temporis, & diligentiæ ad eam lucubrationem adhibuiſſent, & Cyclos tam veterum, quàm recentiorum vndique conquiſitos, ac diligentiſsime perpenſos inter ſe contuliſſent, ſuo, & doctorum hominum, qui de ea re ſcripſerunt iudicio hunc præ cæteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nōnulla etiā adiecerūt, quæ ex accurata circunſpectione viſa ſunt ad Kalendarij perfectionem maxime pertinere.

Con-

Conſiderantes igitur nos, ad rectá Paſchalis feſti celebrationem iuxta ſanctorum Patrú, ac veterum Romanorú Pontificum: præſertim Pij & Victoris primorum, necnon magni illius œcumenici Cócilij Nicęni, & aliorum ſanctiones, tria neceſſario coniungenda, & ſtatuenda eſſe, primum certam Verni æquinoctij ſedẽ, deinde rectam poſitionem xiiij. Lunæ primi menſis, quæ vel in ipſum æquinoctij diem incidit, vel ei proxime, ſuccedit, poſtremo primum quemq; diem Dominicũ, qui eandem xiiij. Luná ſequitur. curauimus non ſolum æquinoctium Vernú in priſtinam ſedem, à qua iam a Concilio Nicæno decem circiter diebus receſsit, reſtituendum, & xiiij. Paſchalem ſuo in loco, à quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore diſtat, reponendam, ſed viam quoq; tradendam & rationem, qua cauetur, vt in poſterum equinoctium, & xiiij. Luna à proprijs ſedibus numquam dimoueantur. Quo igitur Vernum æquinoctium, quod à Patribus Concilij Nicæni ad xij. Kalend. Aprilis fuit conſtitutum, ad eandem ſedem reſtituatur, Præcipimus, & mandamus, vt de menſe Octobri anni 1582. decem dies incluſiue à tertia Nonarú vſq; ad pridie Idus eximantur, & dies, qui feſtúm S. Franciſci iiij. Nonas celebrari ſolitum ſequitur, dicatur Idus Octobris, atq; in eo celebretur feſtum SS. Dionyſij. Ruſtici, & Eleutherij martyrum, cum cõmemoratione S. Marci Papæ & cófeſſoris, & SS. Seruij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij martyrum. Septimodecimo vero Kal. Nouembris, qui dies proxime ſequitur, celebretur feſtum S. Caliſti papæ & martyris. Deinde

xvj. Kal. Nouembr. fiat officium & Miſſa de Dominica xviij. poſt Pentecoſten, mutata litera Dominicali G. in C. Quintodecimo deniq; Kal. Nouemb. dies feſtus agatur S. Lucæ Euangeliſtæ, à quo reliqui deinceps agantur feſti dies, prout ſunt in Kalendario deſcripti.

Ne vero ex hac noſtra decem dierũ ſubtractione alicui, quod ad annuas vel menſtruas præſtationes pertinet, præiudicium fiat, partes iudiciũ erunt in controuerſijs, quæ ſuper hoc exortæ fuerint, dictæ ſubtractionis rationem habere, addendo alios x. dies in fine cuiuslibet præſtationis.

Deinde ne in poſterum à xij. Kal. April. æquinoctium recedat, ſtatuimus Biſſextum quarto quoque anno (vti mos eſt) continuari debere, præterquam in centeſimis annis: qui quamuis Biſſextiles antea ſemper fuerint, qualem etiam eſſe volumus annum 1600. poſt eum tamen, qui deinceps conſequentur centeſimi, non omnes Biſſextiles ſint, ſed in quadringentis quibuſq; annis primi quiq; tres centeſimi ſine Biſſexto tranſigantur, quartus vero quiſq; cẽteſimus Biſſextilis ſit, ita vt Annus 1700. 1800. 1900. Biſſextiles nõ ſint. Anno vero 2000. more conſueto dies Biſſextus intercaletur, Februario dies 29. continente: idemq; ordo intermittendi, intercalandiq; Biſſextum diem, in quadringentis quibuſque annis perpetuo conſeruetur.

Quo itẽ xiiij. Paſchalis recte inueniatur, itemq; dies Lunæ iuxta antiquum Eccleſiæ morẽ ex Martyrologio ſingulis diebus ediſcendi fideli populo vere proponantur, ſtatuimus, vt amoto aureo numero

mero de Calendario, in eius locum ſubſtituatur Cyclus Epactarum: qui ad certam (vti diximus) aurei numeri normam directus efficit, vt nouilunium, & xiiij. Paſchalis vera loca ſemper retineant. Idq; manifeſte apparet ex noſtri explicatione Kalendarij, in quo deſcriptæ ſunt etiam tabulæ Paſchales ſecundum priſcum Eccleſiæ ritum, quo certius & facilius ſacroſanctum Paſcha inueniri poſsit.

Poſtremo quoniá partim ob decẽ dies de Menſe Octobri anni 1582. qui correctionis annus recte dici debet exemptos, partim ob ternos etiam dies quolibet quadringentorum annorum ſpatio minime intercalandos, interrumpatur neceſſe eſt Cyclus literarum Dominicalium 28. annorũ ad hanc vſq; diem vſitatus in Eccleſiæ Romana: Volumus in eius locum ſubſtitui eundem Cyclũ 28. annorum ab eodem Lilio tum ad dictam intercalandi Biſſexti in centeſimis annis rationem, tum ad quácumq; anni ſolaris magnitudinem accõmodatũ, ex quo litera Dominicalis beneficio Cycli ſolaris æque facile, ac prius, vt in proprio canone explicatur, reperiri poteſt in perpetuum.

Nos igitur vt quod proprium Pont. Max. eſſe ſolet exequamur, Calendarium immenſa Dei erga Eccleſiam ſuam benignitate iam correctum atque abſolutum hoc noſtro decreto probamus, & Romę vnà cum Martyrologio imprimi, impreſſumq; diuulgari iuſsimus. Vt vero vtrumq; vbiq; terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum ſeruetur, omnibus in noſtro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dominio mediate vel immediate

ſubiecto cõmorantibus impreſſoribus ſub amiſsionis librorum, ac centum ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ ipſo facto applicandorum: alijs vero in quacunque orbis parte conſiſtentibus ſub excõmunicationis latæ ſententiæ, ac alijs arbitrij noſtri pœnis, ne ſine noſtra licencia Kalendarium, aut Martyrologiũ ſimul vel ſeparatim imprimere, vel proponere, aut recipere vllo modo audeant vel præſumant, prohibemus.

Tollimus autem, & abolemus omnino vetus Kalẽdarium, volumusq; vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & cæteri Eccleſiarum præſides, nouũ Kalendarium (ad quod etiã accõmodata eſt ratio Martyrologij) pro diuinis officijs recitandis, & feſtis celebrandis in ſuas quiſq; Eccleſias, Monaſteria, cõuentus, ordines, militias, & diœceſes introducant, & eo ſolo vtantur tam ipſi, quam cæteri omnes presbyteri, & clerici ſeculares, & regulares vtriuſq; ſexus, nec non milites, & omnes Chriſti fideles, cuius vſus incipiet poſt decem illos dies ex menſe Octobri anni 1582. exemptos. Ijs verò, qui adeò longinquas incolũt regiones, vt ante præſcriptũ à nobis tempus harũ litrarum notitiam habere non poſsint: liceat, eodem tamen Octobri menſe in ſequentis anni 1583. vel alterius, cum primum ſcilicet ad eos hæ noſtræ literæ peruenerint, modo à nobis paulò ante tradito eiuſmodi mutationem facere, vt copioſiũs in noſtro Kalen. anni correctionis explicabitur.

Pro data autem nobis à Dño auctoritate hortamur, & rogamus chariſsimum in Chriſto filium noſtrum

ſtrum Rodulphum Romanorum Regẽ illuſtrem in Imperatorem electũ, cæteroſq; Reges, Principes, ac Reſpublicas, iiſdemq; mandamus, vt quo ſtudio illi à nobis contenderunt, vt hoc tam præclarum opus perficeremus. eodem, imo etiam maiore, ad conſeruandam in celebrandis feſtiuitatibus inter Chriſtianas nationes concordiam, noſtrum hoc Kalendariũ & ipſi ſuſcipiant, & à cunctis ſibi ſubiectis populis religioſe ſuſcipiẽdum, inuiolateq; obſeruãdũ curẽt. Verùm quia difficile foret præſentes literas ad vniuerſa Chriſtiani orbis loca deferri, illas ad Baſilicæ Principis Apoſtolorũ, & Cancellariæ Apoſtolicæ valuas, & in acie Campi floræ publicari & affigi, & earundẽ literarum exemplis, etiam impreſsis, & voluminibus Kalendarij, & Martyrologij inſertis & præpoſitis, ſiue manu tabellionis publici ſubſcriptis, nec non ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem prorſus indubitatã fidẽ vbiq; gentiũ & locorũ haberi pręcipimus, quæ originalibus literis exhibitis omnino haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præceptorum, mandatorũ, ſtatutorũ, voluntatis, probationis, prohibitionis, ſublationis, abolitionis, hortationis, & rogationis infringere, vel vi auſu temerario contraire. Siquis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datũ Tuſculi Anno Incarnationis Dñicæ. 1581. ſexto Kal. Martij. Põt. noſtri ãno decimo.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Dñi noſtri Ieſu Chriſti 1582. Indictione decima, die vero Iouis prima mẽſis Martij, Pōtificatus uero Sanctiſsimi in Chriſto patris, & D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno eius decimo Retroſcriptæ literę Apoſtolicę publicatę & affixę fuerunt in Valuis principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per me Scipionẽ de Octauianis Apoſtolicum Curſ.

Franciſcus Baron Magiſter Curſorum.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad futuram rei memoriã.

CVm nos nuper Kalendariũ Romanum ſumma diligẽtia & induſtria de mãdato noſtro correctũ, & abſolutum approbantes, illud vna cum operæ nouæ rationis corrigendi eiuſdẽ Kalẽdarij, ac Martyrologio iuxta ipſius operis calculũ à quondã Aloyſio Lilio accurate cõfecto, & cõpilato imprimi, impreſſumq; diuulgari iuſſerimus, prout in noſtris literis deſuper cõfectis pleni⁹ cõtinetur. Nos ad laborioſam & indefeſſam operã in huius Kalendarij reſtitutione à dilecto filio Antonio etiã Lilio Vmbriaticeñ. in artibus, & Medicina magiſtro & dicti Aloyſij fratre germano, Vrbis incola egregie nauatam, debitum reſpectũ habentes. ac operæ pretiũ fore cenſentes, vt cuius diuturnis vigilijs & laboribus opus reſtitutionis Kalẽdarij huiuſmodi magna ex parte ad perfectionẽ deductũ eſt, ita quoque eius cura, & ſolicitudine in lucẽ prodeat, ac à mendis, & erroribus cõſeruetur. Et propterea volentes eundẽ Antoniũ, vt etiã induſtriæ, & vigiliarũ ſuarum effectu lætari valeat, fauore proſequi gratiæ ſpecialis, Motu proprio ad dicti Antonij, aut alterius pro eo nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiã, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eidem Antonio quod ad decenniũ proximum nullus per vniuerſum orbẽ Chriſtianũ conſtitutus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, kalendarium, ac opus, & Martyrologiũ huiuſmodi, vel eorũ aliquã partem, ſeu quodcunque aliud, quod quomodolibet deducatur, aut de-

pendeat ab opere correctionis eiuſdẽ calendarij, & omnino à cyclo Epactarũ, & modo ęquationis anni Solaris & Lunaris ab Aloyſio prædicto inuẽtis, ſine dicti Antonij vel ſuorũ hęredũ expreſſa licentia imprimere, aut imprimi facere, vel pręterquã de licẽtia huiuſmodi vẽdere, aut vænalia ꝓponere, ſeu in propria domo, vel alibi, etiã ex mutuo, vel dono, aut alias habere, & retinere poſsit. apoſtolica auctoritate, tenore præſentium cõcedimus, & indulgemus. Diſtrictius inhibẽtes omnibus, & ſingulis vtriuſq; ſexus perſonis, præſertim Typographis Bibliopolis, & librorũ impreſſoribus, ac mercatoribus tã in Italia quã extra eam, & in quacũq; mũdi parte exiſteñ. in virtute ſanctæ obediẽtiæ, & ſub excõmunicationis latę ſentẽtię, à qua niſi à nobis, & pro tẽpore exiſteñ. Rom. Põt. ſatisfacto prius de dãno, & pœna appoſita, præterquã in articulo mortis, abſolui non poſsint: In terris vero S. R. E. mediate vel ĩmediate ſubiectis, amiſsionis librorũ, ac mille ducatorũ auri de Camera pro vna Camerę apoſtolicę, pro altera medietatibꝰ dicto antonio, ſuiſq; hęredibus applicañ. pœnis, & per eos, & alios quoſcũq, ipſis auxiliũ, cõſiliũ, vel fauorem pręſtañ. & talia facieñ. taceñ. & nõ reuelañ. cuiuſcũq; ſtatus, gradus, ordinis, cõditionis, & dignitatis exiſteñ. totiẽs, quotiẽs id fecerint, ipſo facto, abſq; alia declaratione incurreñ. ne dicto decẽnio durãte, Kalẽdariũ, ac opus, & Martyrologiũ huiuſmodi, vel aliquã eorũ partẽ, ſeu quodcũq; aliud, quod quomodolibet deducatur aut depẽdeat ab eiſdẽ, vt pręfertur, ſub quacũq; forma alicubi, abſq; expreſſa licẽtia, & aſſenſu antonij & hęredũ præfatorũ imprimere, ſeu imprimi facere: aut per quoſuis, pręterquã de licẽtia huiuſmodi impreſſa vendere, ſeu vęnalia ꝓponere, ſeu in ꝓpria domo, vel alibi etiã ex mutuo, vel dono, aut alias habere, vel tenere, audeãt, vel pręſumãt. Pręcipiẽtes etiã õnibus, & ſingulis qui officiũ diuinũ recitare tenentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, ne alio vtãtur Calendario, quã hoc Romæ impreſſo, aut alio, quod de licencia prædicti antonij Lilij, vel eius hæredum, alibi fuerit impreſſum.

Cum enim ōnes Canones huius Kalendarij ſunt noui, noua etiā Cycli Epactarum, literarūque Dominicaliū deſcriptio, fieri vix poterit, quin in impreſsione error cōmittatur, niſi illi, qui rē plane perceperint, rationēqꝫ huius Calēdarij penitus cognouerint, aſsidue aſsiſtāt. Ex quo non parua diuerſitas in celebratione feſtorū mobiliū, & pronuntiatione Lunę in Martyrologio orietur. Qui autē ſecus fecerit, excommunicationē latæ ſententiæ incurrat, ſciatque ſe in recitando officio nō ſatisfeciſſe. Decernentes præſentes literas ſub quibuſuis ſimilium vel diſsimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpēſionib9 limitationib9, aut alijs cōtrarijs diſpoſitionib9 à nobis, & ſucceſſorib9 noſtris ꝓ tēpore emanātis nullatenus cōprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabūt, toties in priſtinum, & eum, in quo antequam emanarent, ſtatum reſtitutas, & repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de nouo ſub quacūque eligenda, conceſſas fore, & eſſe, ſicque per quoſcunque Iudices, & cōmiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorū cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretādi facultate, & auctoritate vbique iudicari & definiri debere, necnon irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignorāter cōtigerit attentari. Quo circa mandamus venerabilib9 Fratrib9, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorū ordinarijs, necnon dilectis filiis eorū Vicarijs, & officiālibus generalibus, ac pro nobis, & pro tēpore exiſtentis Rom. Pont. in ſtatu tēporali S. R. E. Legatis, Vicelegatis, & Gubernatoribus, in virtute ſanctæ obedientiæ: eorum vero loca tenentibus, ac cæteris officialibus, & iuſtitiæ miniſtris quibuſcunque ſubpœnis prędictis, & vt præfertur incurreñ. & applicañ. vt quoties pro præſentiū obſeruatione, & executione requiſiti fuerit in prǫmiſsis efficacis defēſionis præſidio aſsiſtētes, faciāt auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta

tenta quæcunque inuiolabiliter obſeruari, cõtradicto-
res & rebelles quoſcunque per ſupradictas ſententias,
cenſuras, & pœnas: etiam ſæpius illas aggrauando, &
reaggrauando, ac alia iuris & facti remedia opportu-
na compeſcẽdo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit,
auxilio brachij ſecularis. Non obſtañ. fe. re. Bonifacij
Papæ octaui prædeceſſoris noſtri de vna, & in Cõcilio
generali edita de duabus, non tamen tribus dietis, ac
alijs Apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & Synoda
libus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus cõſ-
titutionibus, & ordinationibus, necnõ etiam iuramẽ
to, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia
roboratis ſtatutis, & cõſuetudinibus, priuilegijs quo-
que indultis, & literis Apoſtolicis Populo Romano,
ſeu officinæ Impreſſoriç Romæ erectæ, ac quibuſuis
Collegijs, Cõmunitatibus, vniuerſitatibus, & perſonis,
per piæ me. Pium IIII. & quoſcunque alios Roma-
nos Pontifices, ac nos, & dictam ſedem ſub quibuſcun
que tenoribus & formis, etiam motu, ſciẽtia, & poteſta
tis plenitudine, vel alias quomodolibet cõceſsis, præ-
ſertim illis, quibus inter alia caueri dicitur expreſſe, q̃d
ſacri, & alij inibi impreſsi libri alibi quàm Romæ in di
cta officina imprimi, aut impreſsi vẽdi nõ poſsint ſub
cenſuris, & pœnis tunc expreſsis: Quibus omnibus, eti
amſi de illis ſpecialis mentio habenda eſſet, eorum te-
nores prçſentibus pro expreſsis habẽtes, illis in ſuo ro
bore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & ex-
preſſe derogan9, cæteriſq; cõtrarijs quibuſcunque. Et
quia difficile foret præſentes literas ad quæcũque loca
vbi opus fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate
decernimus, quòd trãſũptis, vel exẽplis earũdẽ etiã in
ipſis operib9 impreſsis, plena, & eadẽ prorſus fides, in
iudicio, & extra vbique adhibeatur, quç ipſis originali
bus adhiberetur, ſi forẽt exhibitç, vel oſtẽſæ. Datũ Ro.
mæ, apud sãctũ Petrũ ſub annulo Piſcatoris. Die iij.
Aprilis. 1582. Pontificatus Noſtri. Anno decimo.

Cæ. Glorierius.

S. D. N. D. GREGORII PP. XIII. PERMISSIO, VT quicũq; catholici extra Vrbē cõmorātes Calendariũ, & Martyrologiũ poſtremo correcta imprimere, & vēdere poſsint, ac eiſdē ad recitādũ officiũ obligati vti valeāt.

GREGORIVS PP. XIII. ad futuram rei memoriam.

CVm nos mēſibus proxime præteritis per noſtras ſub plũbo literas ſub data 24. Februarij præſentis anni prohibuerimus, ne quiſquam Calendariũ Romanũ mā dato noſtro poſtremo correctum, neque Martyrologiũ ſine licentia noſtra imprimere poſſet. Et deinde per alias literas in forma breuis tertia aprilis eiuſdē anni datas, vt nemo illa imprimi facere valeret abſq; licentia dilecti filij Antonij Lilij pariter inhibuerimus: Nec ijs, qui ad recitationē Officij tenētur ex cauſis in literis prædictis tunc expreſsis nullis alijs Calendarijs, præterquā cũ eadem licentia impreſsis, vti liceret, prout in ſingulis litteris huiuſmodi plenius continetur. Nunc autē cōſiderantes incõmoda, ac dāna, quę tales prohibitiones afferre poſſunt, cũ difficillimũ ſit, vt ex hac Vrbe tranſmitti poſsit is numerus huius Calēdarij, & Martyrologij, qui opus foret in Prouincias magis remotas, minuſque ipſe Antonius Lilius adeo celeriter, vt oporteret cõuenire, & paciſci queat cũ exteris Impreſſoribꝰ Motu proprio, & ex certa ſciētia, maturaq; deliberatione noſtra dictas ambas prohibitiones tenore pręſentiũ omnino tollimꝰ, & penitus abolemꝰ, ac pro nullis eſſe, & ab omnibus haberi volumus, & mādamus, permittimuſq;, vt quicũq; Catholici extra Vrbē cõmorantes, Calendariũ, & Martyrologiũ huiuſmodi libere, & impune, ac abſq; vllius pœnæ vel cenſuræ incurſu imprimere, vēdere, ac venalia tenere poſsit, dummodo illa ſint ita impreſſa, vt nullo modo in aliquo ab exēplaribꝰ Romę impreſsis differāt, neq; diſcordent. Decernentes, quod omnes, qui ad recitandum officium ſunt obligati, eiſdem Calendarijs ſic impreſsis ſine periculo vllo vti valeant. Non obſtantibus præmiſsis prohibitionibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus quoque quòd præſentium tranſumptis etiam impreſsis manu Notarij publici

ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cōſtitutę obſignatis,ea prorſus fides habeatur,quę originalib' ipſis adhiberetur,ſi forēt exhibitę,vel oſtēſę. Dat.Romę apud S.Petrū ſub Annulo Piſcatoris die 20. Nouebris. Pontificatus noſtri Anno vndecimo. M.D. LXXXII.

Cæ. Glorierius.

S.D.N.D. GREGORII PAPAE XIII. CONSTITVtio ſuper obſeruatione calēdarij nuper editi pro ijs,qui de menſe Octobris proxime præterito illud obſeruare non cœperunt.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuā rei memoriā.

CVpiētes pro Paſtoralis officij nobis diuinitus iniūcti ſollicitudine Calendariū nuper cura,& iuſſu noſtro correctū atq; editū vbique locorū ab omnibus,qui illud ꝓpter diuerſa impedimēta,ſtatuto die Mēſis Octobris proxime,prętetiti,obſeruare nō cœperunt, quā primū in vſu recipi,& prout maxime expediēs eſt,diligēter,& exacte ſeruari. Idcirco ne ſubſequēs Mēſis Octobris,quod quidē nimis longū eſſet,expectetur:volētes vigilātię noſtræ prouidētia opportuna remedia hiſce difficultatib' celeriter adhibere:Motu proprio,& ex certa ſciētia maturaq; deliberatione noſtra,ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,hac noſtra perpetuo valitura ſanctione ſtatuimus,pręcipim',& mādamus,vt quicūque,in quibuſuis Regnis,Prouincijs,Ciuitatibus,& locis cōſtituti, Calendariū emendatū prędictū hacten' nondū obſeruare cœperunt,illud modo,& formula infraſcripta,ſemotis cunctis excuſationibus,& impedimētis,omnino ſeruēt,videlicet.Cū peruentū fuerit ad diē decimū Februarij anni 1583. in quem cadit Dominica Quinquageſimæ ſecundū antiquū Calendariū,trāſitus ſtatim fiat ad diē vigeſimūprimū eiuſdem mēſis Februarij,omiſſis decē diebus inter diē decimū,& diē vigeſimumprimū Februarij huiuſmodi interpoſitis,quæ erit feria ſecūda poſt Dnicam Quinquageſimæ (mutata litera Dominicali F in B) in qua dicatur officiū,& miſſa de ſācto Valētino presb,& martyre,cū cō. SS.Fauſtī & Iouitæ mart. & S. Simeonis Epiſcopi & martyris,

& feria tertia de Cathedra, proxima autem Feria quarta erit dies Cinerũ, atque hoc pacto nulla amplius erit diſcrepantia in Feſtorum tam mobilium, quam fixorũ celebratione. Verum quia difficile foret præſentes literas ad vniuerſa Chriſtiani orbis loca deferri: Volumus quod illarum tranſumptis etiam impreſsis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica cõſtitutæ obſignatis, eadem prorſus indubitata fides vbiuisgentium, & locorum habeatur, quę originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrũm, ſub Annulo Piſcatoris, die vij. Nouẽbris. M. D. LXXXII. Pontificatus noſtri Anno vndecimo.

Cæ. Glorierius.

VBI CORRECTIO CALENDARII FIET de menſe Februarij, Anni M. D. LXXXIII.

Officium ordinabitur hoc modo.

Dominica Quinquegeſimæ in ſecundis Veſperis poſt Orationem Dominicæ fiat commemoratio Sãcti Valentini Presbiteri, & martyris, deinde Sanctorum Fauſtini, & Iouitæ Martyrum, poſtea Sãcti Simeonis Epiſcopi, & Martyris, cum Antiphona, & Verſiculis ſumptis ex laudibus.

Feria ſecunda, quæ cadit in Vigeſimam primam diem Februarij, fiat officium ſimplex de ſancto Valentino, cum commemoratione ſanctorum Fauſtini, & Iouitæ, ac ſancti Simeonis cum Antiphona, & Verſiculis ſumptis ex ſecundis Veſperis de comuni vnius Martyris. Veſperæ integræ erunt de Cathedra Sancti Petri.

Feria tertia totum officium fiat de Cathedra Sancti Petri.

Feria quarta fiat officium de die Cinerum.

Deinceps officium fiet vt in Calendario.

# CANON.
# IN KALENDARIVM.
## GREGORIANVM.
## *ANNI CORRECTIONIS.*
## M. D. LXXXII.

ANNO Domini M. D. LXXXII. vtendum eſt antiquo Calendario, quo ad hanc vſque diem Eccleſia Romana vſa eſt, vſq; ad iiij. Nonas Octob. hoc eſt, vſq; ad feſtum S. Franciſci incluſiue: Deinde vero aſſumendum eſt fragmentum hoc Calendarij continens tres vltimos menſes, quorum October motillus etiam eſt, cum dies duntaxat 21. complectatur. Quoniam enim, vt Æquinoctium vernum ad diem 21. Martij, quo ipſum Patres Cõcilij Nicæni deprehenderunt, & à quo iam decem circiter dies verſus initium Martij receſsit, reſtituatur, ſancitum eſt à Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. vt poſt iiij. Non. Octob. omittantur x. dies, tranſiliendum ſtatim erit a iiij. Non. Octob. ad Idus Octob. ita vt celebrata feſtiuitate S. Franciſci, dies ſequens dicatur Idus Octob. ſiue dies Quintus decimus Octob. in eoq; celebretur feſtum SS. Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij martyrum, cum cõmemoratione S. Marci Papę & cõf. & SS. Sergij Bacchi, Marcelli, & Apuleij mart. Die vero proxima, quæ eſt. 16. Octob. diciturq; xvij. Kal. Nouemb. dies feſtus agatur S. Calliſti Papæ & mart. Die dein de ſequẽti quę

eſt 17. Octob. diciturq; xvj. Kal. Nouemb. dicatur officium & Miſſa de Dominica xviii. poſt Pentecoſten, quæ erit Dominica tertia Octobris, mutata litera Dominicali g, in c Decimo octauo vero die Octob. ſiue quinto decimo Kal. Nouembris celebretur feſtum S. Lucæ Euangeliſtæ, & ab hac die incluſiue reliqui feſti dies agantur, vt ſunt in Kalendario deſcripti, vſq; ad finem anni 1582. poſt quem, fragmentum hoc Kalendarij nullum vſum amplius habebit, ſed Kalendarium perpetuum aſciſcendum erit, in quo omnes 12. menſes integri deſcripti ſunt. Quod etiam intelligas de alijs annis, in quibus correctio hæc fiet.

Itaq; poſt detractionem x. dierum de menſe Octobri anni 1582. litera Dominicalis erit c. Epacta autem erit xxvj. & litera Martyrologij erit G, maiuſc. vt in proprijs Canonibus Kalendarij, & Martyrologij docetur: adeo vt vbicumq; in hoc fragmento Kalendarij reperitur litera c, ibi dies Dominicus celebretur. Vbicunq; autem Epacta xxvj. poſita eſt, ib fiat Nouilunium, ſeu Luna 1. Deniq; vbicunq; in Martyrologio litera G, maiuſc. extiterit, ibi ſub ea ætas Lunæ deprehendatur. Anno autem 1583. iam emendato adhibendi erunt canones Kalendarij Gregoriani perpetui. Erit enim tunc litera Dominicalis b. Epacta autem vij. & litera Martyrologij g, minuſc.

Quid autem faciendum ſit in regionibus remotioribus, in quibus correctio fieri non poteſt anno 1582. ſed vel anno 1583. vel 1584. vel 1585. dicetur poſt finem huius fragmenti Kalendarij.

| Cyclus Epactar. áni corr. 1582. | Lit. dñi. cal. | | Dies méſis. | OCTOBER. *Cui deſunt decẽ dies pro correctione Anni Solaris* |
|---|---|---|---|---|
| xxij | A | Kal. | 1 | Remigij epiſcopi & cõfe. |
| xxj | b | vj | 2 | |
| xx | c | v | 3 | |
| xix | d | iiijN | 4 | Frãciſci confeſſ. duplex. |
| viij | A | Idib. | 15 | Dionyſij, Ruſt. & Eleut. mart. ſemidu. cũ cõm. S. Marci papæ & cõfeſſoris, & SS. Sergij Bacchi, Marcelli, & Apuleij martyrũ. |
| vij | b | xvij | 16 | Calliſti Pa. & mart. ſemi. |
| vj | c | xvj | 17 | |
| v | d | xv | 18 | Lucæ Euãgeliſtæ. dupl. |
| iiij | e | xiiij | 19 | |
| iij | f | xiij | 20 | |
| ij | g | xij | 21 | Hilarionis abbat. & cõm. SS. Vrſulę & ſoc. virg. & (mart. |
| j | A | xj | 22 | |
| * | b | x | 23 | |
| xxix | c | ix | 24 | |
| xxviij | d | viij | 25 | Chryſãthi & Darię mart. |
| xxvij | e | vij | 26 | Euariſti Papæ & mart. |
| xxvj | f | vj | 27 | Vigilia. |
| 25. xxv. | g | v | 28 | Simonis & Iudę Apo. dup |
| xxiiij | A | iiij | 29 | |
| xxiij | b | iij | 30 | |
| xxij | c | prid. | 31 | Vigilia. |

| Cyclus. Epactarũ ano. corr 1582. | Lit. dñi. cal. | Dies menſis. | | ❧ NOVEMBER. *Anni correctionis.* |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | Kal | 1 | Feſtũ omniũ Sãctorũ du. |
| xx | e | iiij | 2 | Cõmem. omniũ defunct. dup & de oct. omniũ ſact. |
| xix | f | iij | 3 | de octaua. |
| xviij | g | prid. | 4 | De octa. cũ cõm. SS. Vitalis & Agricolæ marty. |
| xvij | A | Non | 5 | De octaua. |
| xvj | b | viij | 6 | De octaua. |
| xv | c | vij | 7 | De octaua. |
| xiiij | d | vj | 8 | Oct. omn. SS. dup. & cõ. SS. Quatuor Coro. mar. |
| xiij | e | v | 9 | Dedicat. Baſilicę Saluat. dup cũ cõm. S. Theod. m. |
| xij | f | iiij | 10 | Tryphonis, Reſpicij, & Nymphæ marty. |
| xj | g | iij | 11 | Martini epiſc. & cõf. dup. & cõm. S. Mennæ mart. |
| x | A | prid | 12 | Martini Papæ & mart. (ſemid |
| ix | b | Idib | 13 | |
| viij | c | xviij | 14 | |
| vij | d | xvij | 15 | |
| vj | e | xvj. | 16 | (epiſ. & cõf. |
| v | f | xv. | 17 | Gregorij Thaumaturgi |
| iiij | g | xiiij | 18 | Dedicatio Baſilicarũ Petri & Pauli. duplex. |
| iij | A | xiij | 19 | Põtiani Papæ & mart. |
| ij | b | xij | 20 | |

| Cyclus Epactarũ | Lit. Dñ. | | Di-es. | *Anni correctionis.* |
|---|---|---|---|---|
| j | c | xj | 21 | |
| * | d | x | 22 | Ceciliȩ virg. & mar. ſemi. |
| xxix | e | ix | 23 | Clemẽtis Pa. & mar. ſem. & cõm. S. Felicitatis mar. |
| xxviij | f | viij | 24 | Chryſogoni marty. |
| xxvij | g | vij | 25 | Chather. virg. & mar. du. |
| 25 xxvj | A | vj | 26 | Petri Alexãdrini epiſcopi |
| xxv. xxiiij | b | v | 27 | (& marty. |
| xxiij | c | iiij | 28 | |
| xxij | d | iij | 29. | Vigil. & cõ. s. Saturnini. m. |
| xxj | e | Prid. | 30 | Andreæ Apoſtoli. dup. |

## DECEMBER.

| Cyclus Eapact | Lit. dñic. | | Di-es. | *Anni correctionis.* |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Kal. | 1 | |
| xix | g | iiij | 2 | Bibianæ virg. & mar. cõ |
| xviij | A | iij | 3 | |
| xvij | b | prid | 4 | Barbarȩ virg. & mar. cõ |
| xvj | c | No. | 5 | Sabbæ abbatis. comm. |
| xv. | d | viij | 6 | Nicolai epiſc. & cõf. ſem. |
| xiiij | e | vij | 7 | Amb. epi & conf. eccl. doc. |
| xiij | f | vj | 8 | Cõcept. B. Ma. dup. (du. |
| xij | g | v | 9 | |
| xj | A | iiij | 10 | Melchiadis pa. & m. cõm. |
| x | b | iij | 11 | Damaſi pap. & cõfe. ſemi |
| ix | c | Prid. | 12 | |
| viij | d | Idib. | 13 | Luciæ virg. & mar. dup |

| Cyclus. Epacta. | Lit. dñi. | | Dies | Annis correctionis. |
|---|---|---|---|---|
| vij | e | xix | 14 | |
| vj | f | xviij | 15 | |
| v | g | xvij | 16 | |
| iiij | A | xvj | 17 | |
| iij | b | xv | 18 | |
| ij | c | xiiij | 19 | |
| j | d | xiij | 20 | Vigilia. |
| * | e | xij | 21 | Thomę Apoſtoli. dup. |
| xxix | f | xj | 22 | |
| xxviij | g | x | 23 | |
| xxvij | A | ix | 24 | Vigilia. |
| xxvj | b | viij | 25 | Nati.D.N. Ieſu Xpi dup. |
| 25. xxv. | c | vij | 26 | Stephani ꝓtomarty. dup. cũ comm. octauæ Natiu. |
| xxiiij | d | vj | 27 | Ioãnis apoſt.&Euág. dup. cũ comm.octauarum. |
| xxiij | e | v | 28 | SS.Innocentũ mart. dup. cũ comm.octauarum. |
| xxij | f | iiij | 29 | Thomæ Cantuar. epiſc.& mart. ſemid cũ cõm.Oct. |
| xxj | g | iij | 30 | De dñica infra Octa.Nat vel đ Oct.cũ cõ.aliar.oct. |
| 19. xx. | A | Prid | 31 | Silueſtri Pap.& cõf. dup cũ cõm. Octauarum. |

# QVID OBSERVANDVM SIT, SI Correctio Calendarij non fiat Anno, M.D.LXXXII.

IDEM prorſus fragmentum Calẽdarij anni correctionis M. D. LXXXII. aſſumendum eſt, quocũque anno fiat correctio, & à iiij. Non. Octob. ſtatim ad Idus Octob. tranſeũdum, vt dictum eſt: ſed feſta inter diem S. Franciſci, & diem S. Lucæ Euangeliſtæ cælebranda erũt vt ſequitur.

Si correctio inſtituatur anno M.D.LXXXIII. dies feſtiuitatis Frãciſci ſuccedẽs dicatur Idus Octob. ſiue dies xv. Octob. & in eo celebretur feſtum SS. Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij mart. cum comm. S. Marci Papæ & confeſſor. & SS. Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij mart. Die vero proxima, quæ eſt 6. Octob. diciturque xvj. Cal. Nouemb. fiat officium & Miſſa de Dominica xx. poſt Pẽtecoſten, quę erit Dominica tertia Octobris, mutata litera Dominicali f, in b. Die deinde ſequenti, quæ eſt xvij. Octob. diciturque xvj. Cal. Nouemb. dies feſtus agatur S. Caliſti Papæ & marty. Die vero xviij. Octob. ſiue xv. Cal. Nouemb. celebretur feſtum S. Lucę Euãgeliſtæ, & ab hac die incluſiue reliqui feſti dies agãtur, vt in Calendario ſunt deſcripti. Itaque anno M. D. LXXXIII. poſt detractionem x. dierum de mẽſe Octobri erit litera Dominicalis, b, Epacta autem vij. & litera Martyrologij g, minuſc.

Si vero correctio inſtituatur anno M.D.LXXXIIII. biſſextili, in quo literæ Dominales ſunt e, d, primus dies feſtum ſancti Frãciſci inſequẽs dicatur Idus Octob. ſiue dies xv. Octob. & in eo celebretur feſtũ ſancti Marci Papæ & confeſſ. cum comm. SS. Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij martyr. Die vero proxima, quę eſt xvj. Octob. diciturque xvij. Cal. Nouẽb. dies feſtus agatur

SS. Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij martyrum. Die autē ſequēti, quæ eſt xvij. Octob. diciturq; xvj. kal. Noueb. celebretur feſtū S. Calliſti Papæ & mart. Die vero. xviij. Octob. ſiue xv. Cal. Noueb. celebretur feſtum S. Lucæ Euāgeliſtæ. Sequenti deinde dia. xix. hoc eſt, xiiij Cal. Noueb. dicatur officium & Miſſa de feria vj. Dominicæ xvij. poſt Pētecoſten, quæ eſt ſecunda Octob. Et die inſequēti, id eſt, xiij. Cal. Nouēb. fiat officium & Miſſa de B. virgine, vt i Sabbato fieri ſolet. Die autē xvj Octob. dicatur officiū & Miſſa de Dominica xviij. poſt Pentecoſten, quę erit Dominica tertia Octobris, mutata litera Dominicali d. in g. vna cum cōm. S. Hilarionis abb. & SS. Vrſulæ, & ſociarum virg. & mart. &c. Itaq; anno M. D LXXXIIII. poſt detractionem x. dierum de menſe Octobri erit litera Dominicalis g. Epacta autem xviij & litera Martyrologi t.

Quod ſi correctio inſtituatur anno M. D. LXXXV: prim9 dies poſt feſtū S. Frācīſci dicatur Idus, vel dies, xv. Octob. & in eo celebretur feſtum S. Marci Papæ & cōfeſſ. & cōm. SS. Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij mart. Die vero xvj. Octob. dies feſtus agatur SS Dionbſij Ruſtici, & Eleutherij martyrū. Et die xvij. Octob. fiat feſtū S. Calliſti Papæ & martyris. Die vero xviij. feſtū S. Lucæ Euangeliſtæ celebretur. At die xix. officium & Miſſa dicatur de B. Virgine, quia ſabbatū eſt. Die autē xx fiat officium & Miſſa de Dominica xix. poſt Pētecoſten, quę erit Dominica tertia Octobris, mutata litera Dominicali e, in f. & cæt. Itaq; anno M D LXXXV. poſt detractionem x. dierum ex menſe Octobri litera Dominicalis erit f. Epacta aūt xxix. & litera Martyrologij N maiuſc.

Ex his facile intelligetur, quid faciēdum ſit in quolibet alio anno, in quo fiat correctio, ſi diligenter obſeruetur dies Dominica & litera Dominicalis, quæ aſſumenda eſt. Anno vero, qui annum correctionis inſequetur, vtendum erit Calendario Gregoriano perpetuo, & adhibendi quoq; Canones eiuſdem Calendarij.

FINIS.

# IN CALENDARIVM GREGORIANVM.

## PERPETVVM.

## CANON. I.

### De Cyclo decennouẽnali Aurei numeri.

CYclus Decẽnouenalis Aurei numeri eſt reuolutio numeri. 19. annorum ab. 1. vſq; ad. 19. qua reuolutione peracta, iterum ad vnitatem reditur. Verbi gratia. Anno. 1577. Numerus cycli decennouẽnalis, qui dicitur Aureus, eſt. 1. Anno ſequenti. 1578. eſt. 2. & ita deinceps in ſequentibus annis, vno ſemper amplius: vſq; ad. 19. qui Aureus numerus cadet in annum. 1595. poſt quem iterum ad vnitatem redeundum eſt, ita vt anno. 1596. Aureus numerus ſit rurſus. 1. & anno. 1597. ſit. 2. &c. Continet autem hic cyclus Aurei numeri annos. 19. quia poſt. 19. annos ſolares elapſos reuertuntur Nouilunia ad eoſdem dies menſium, licet non omnino præciſe, ſed aliqua diei particula citius, vt à Computiſtis, & in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani oſtenditur. Quilibet vero annus Aurei numeri terminatur in fine menſis Decembris, & in principio Ianuarij ſequentis anni initium ſumit alius annus Aurei numeri: quemadmodum etiam fit in

annis Domini, qui ſemper terminantur in menſe
Decembri, & initium ſumunt à Ianuario. Vt anno
Domini 1582. annus Cycli decennouénalis, qui
dicitur Aureus numerus, eſt 6. terminaturque ſi-
mul cum ipſo anno Domini 1582. in menſe De-
cembri: In menſe autem Ianuario initium ſumit
alius annus Domini, nempe 1583. & in eodem men
ſe Ianuario aſſumitur etiam alius annus Aurei nume
ri, nimirum 7. Et ita deinceps agendum erit in alijs
annis, quouſque perficiatur numerus 19. à quo ite-
rum redeundum eſt ad vnitatem: atque hoc modo
in perpetuum. Hoc cyclo decennouenali Aurei nu
meri per dies Kalendarij diſtributo Eccleſia Roma-
na ad hanc vſque diem vſa eſt tum ad coniunctiones
Solis ac Lunæ inquirendas, tum vero maxime ad in
ueniendum diem feſtum Paſchæ, & ad indaganda
alia feſta mobilia: propterea quòd veteres putabant
Nouilunia, tranſacto ſpatio 19. annorum ſolarium,
ad eundem prorſus diem, eandemq; horam redire:
quod verum non eſt, cum Nouilunia paulo citius,
quàm ſpatium 19. annorum Solarium compleatur,
ad eandem ſedem redeant, vt dictum eſt. Hinc fa-
ctum eſt, vt Nouilunia hoc tempore plus quam qua
tuor dies diſtent ab Aureo numero in veteri Kalen-
dario Romano & ſecundum illius normam Paſcha
ſæpenumero poſt xxi. Lunam, contra Maiorum in-
ſtituta, celebretur: adeo vt cyclus hic Aurei numeri
inutilis omnino iam ſit inuentus ad Nouilunia, feſ-
taque mobilia indicanda, idemq; magis ac magis in
dies futurus ſit inutilis tũ ꝓpter decem dies ex men-
ſe

ſe Octobri anni 1582. auferendos, tum etiam propter tres Biſſextos omittendos quibuſque quadringentis annis, niſi in 30. ordines redigatur, hoc eſt, niſi 30. Kalendaria conſtruantur, vt ex illis ſeligatur ſemper illud, quod certo cuidam tempori congruit: quæ res, quantas perturbationes, quantoſque ſumptus, perſonis præſertim Eccleſiaſticis, eſſet allatura, nemo non videt. Hoc incommodum vt vitetur, ſubſtitutus eſt in locum Aurei numeri in Kalendario Cyclus Epactarum conſtans ex 3. numeris Epactalibus: qui quidẽ nihil aliud eſt quam cyclus decennouennalis Aurei numeri ęquatus, ita vt ſit inſtar Aurei numeri in 30. Kalendaria, de quibus dictum eſt, diſtributi, vt in libro nouæ rationis reſtituendi Kalédarij Romani declaratur, Aureo numero vtemur iñ poſterũ, non quidẽ ad Nouilunia, & feſta mobilia inquirenda, vt ad hanc vſque diem factum eſt ab Eccleſia, ſed ſolum ad inueſtigandam Epactam cuiuslibet anni, ex qua & Nouilunia, & feſta mobilia deinde reperiantur, vt in ſequenti canone docebimus: ita vt etiam nunc neceſſarium omnino ſit Aureum numerum quouis anno indagare, licet is de Kalendario ſit ſubmotus, locumq; amplius non habeat ad Nouilunia, feſtaque mobilia inuenienda.

Igitur vt Aureus numerus quolibet anno propoſito inueniatur, compoſita eſt ſequens tabella Aureorum numerorum, cuius vſus incipit ab anno correctionis 1582. incluſiue, duratq; in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cuiuslibet anni poſt annum 1582. reperietur hoc modo.

Ta

*Tabella cycli Aurei numeri initium ſumens ab anno correctionis. 1582.*

vj. vij. viij. ix. x. xj. xij. xiij. xiiij. xv. xvj. xvij. xviij. xix. j. ij. iij. iiij. v.

Anno. 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui eſt vj. ſecundus autem, qui eſt vij. ſequenti anno. 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cuius Aureum numerum quæris, perueniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcunq; eam percurreris: Nam numerus, in quem annus propoſitus cadit, dabit Aureum numerum quæſitum.

Sed quoniam valde laborioſum eſt, ac moleſtũ, tot annos in dicta tabella enumerare, eamq; toties repetere, donec ad annum, cuius Aureus numerus quæritur, perueniatur, præſertim vero, ſi annus propoſitus procul ab anno. 1582. ab ſit, conſtruximus hanc aliam tabulam, ex qua ſine magno labore Aureus numerus cuiuſcunq; anni tam ante, quàm poſt annum. 1582. inuenietur hac arte.

Quæratur annus propoſitus in tabula ſub annis Domini, qui ſi deſcriptus in ea fuerit, Aureus numerus ad dexteram ipſius collocatus, addita prius vnitate, vt in vertice tabulæ præcipitur, erit is, qui quæritur. Si vero annus propoſitus in tabula non continetur, accipiatur annus in tabula contentus proxime minor, vna cum Aureo numero reſpondente. Deinde ſumantur in eadem tabula anni, qui ſuperſunt, vna cum Aureo numero reſpondente, qui priori Aureo numero inuento addatur, reijcian-

## ¶ *Tabula ad Aureum numerum cuiuslibet anni inueniendum.*

| Anni Dñi. | Aureꝰ nume. Adde. | | Anni Dñi. | Aureꝰ nume. Adde. |
|---|---|---|---|---|
| | 1 | | | 1 |
| 1 | 1 | | 300 | 15 |
| 2 | 2 | | 400 | 1 |
| 3 | 3 | | 500 | 6 |
| 4 | 4 | | 600 | 11 |
| 5 | 5 | | 700 | 16 |
| 6 | 6 | | 800 | 2 |
| 7 | 7 | | 900 | 7 |
| 8 | 8 | | 1000 | 12 |
| 9 | 9 | | 2000 | 5 |
| 10 | 10 | | 3000 | 17 |
| 20 | 1 | | 4000 | 10 |
| 30 | 11 | | 5000 | 3 |
| 40 | 2 | | 6000 | 15 |
| 50 | 12 | | 7000 | 8 |
| 60 | 3 | | 8000 | 1 |
| 70 | 13 | | 9000 | 13 |
| 80 | 4 | | 10000 | 6 |
| 90 | 14 | | 20000 | 12 |
| 100 | 5 | | 30000 | 18 |
| 200 | 10 | | 40000 | 5 |

ciantur q; à compoſito numero. 29. ſi reijci poſsũt. Et tandem vnitas adijciatur. Componetur enim hac ratione Aureus numerus propoſiti anni. Quod ſi neq; anni, qui ſuperfuerunt, in tabula reperiantur,

tur,

tur, accipiendus erit rurſum annus proxime minor, vna cum eius Aureo numero, qui priori Aureo numero inuento adijciẽdus eſt, & à compoſito numero reijcienda 19. ſi reijci poſſunt: Idemque faciendum erit cum reliquis annis, qui ſuperſunt, donec omnes in tabula inueneris. Et tandem vltimo Aureo numero ex Aureis numeris in tabula repertis confecto (reiectis prius 19. ſi reijci poſſunt, vt dictum eſt) addenda vnitas. Conficietur enim hoc modo Aureus numerus anni propoſiti. Quòd ſi poſt additionem vnitatis numerus compoſitus fuerit 19. ita vt, detractis 19. nihil remaneat, erit Aureus numerus. 19.

Exemplis res fiet illuſtrior. Sit inueniendus Aureus numerus anni 700. Quoniam hic annus in tabula reperitur, eique reſpondet Aureus numerus 16. ſi huic Aureo numero adijciatur 1. erit anno 700. Aureus numerus 17. Rurſus inueniendus proponatur Aureus numerus anno 1583. Quoniam hic annus in tabula non exiſtit, ſumẽdus eſt annus 1000. in tabula proxime minor, eiuſque Aureus numerus 12. Deinde accipiendi in tabula anni reſidui 1583. qui quoniam in ea non continentur, capiendus iterum eſt annus 500. in tabula proxime minor, eiuſque Aureus numerus 6. quo ad priorem Aureũ numerum 12. inuentum adjecto, conficietur numerus 18. poſt hoc anni 83. qui ſuperſunt, ſumẽdi in tabula, ſed quoniam non reperiũtur, accipiendus eſt ãnus 80. in tabula proxime minor, eiuſq; Aure⁹ numer⁹ 4. quo appoſito ad Aureũ numerũ 18. pri⁹ cõpoſitũ, efficietur numerus 22. à quo ſi detrahantur 19. remane-

manebunt 3. Poſtremo remanẽtes anni 3. ſumendi ſunt in tabula, & Aureus numerus 3. illis reſpódens, quo adiecto ad Aureum numerum 3. proxime relictum. componetur numerus 6. cui tandem ſi addatur 1. vt in vertice tabulę pręcipitur, erit áno 1583. Aureus numerus 7. Sit deniq; quærẽdus Aureus numerus anni 1595. Accipio primũ Aureũ numerũ 12. reſpõdentẽ anno 1000. eũq; addo Aureo numero 6. qui anno 500. reſpõdet, cõficioq; numerũ 18. Deindè Aureũ numerũ 14. reſpõdentẽ anno 90. addo illi Aureo numero 18. inuẽto, procreoq; numerũ 32. à quo detractis 19. remanet numerus 13. cui adiũgo Aureũ numerum 5. reſpondentem anno 5. efficioq; numerũ 18. Huic tandẽ ſi addã 1. habebo 19. pro Aureo numero anni 1595. Additur autẽ ſemper vltimo numero vnitas, quia Chriſtus anno ſecũdo huius cycli Aurei numeri natus eſt, fuitq; anno Dñi primo Aureus numero 2. & anno ſecundo Aureus numerus 3. &c.

Compoſitio quoq; huius tabulæ perfacilis eſt. Primis enim 10. annis reſpondent primi decem Aurei numeri. Deinde quia à 10. anno progreditur tabula per annos decimos, reſpondetq; anno 10. Aureus numerus 10. ita vt ſingulis 10. annis Aureus numerus 10. vnitatibus augeatur, duplicãdus erit Aureus numerus 10. reſpondens 10. anno, & à producto numero 20. reijcienda 9. vt habeatur Aureus numerus 1. reſpondens anno 20. Cui Aureo numero 1. iterũ adijciendus eſt Aureus numerus 10. decimi anni, vt cõponatur Aureus numerus 11. pro anno 30. atq; hoc modo ꝑ ſequẽtibus decimis annis

vſq;

vſq; ad. 100. addendus ſemper eſt Aureus numerus. 10. præcedenti Aureo numero, & reijcienda 19. ſi reijci poſſunt, vt habeatur ſequens Aureus numerus. Poſt hæc, quia in tabula poſt annũ. 100. ſit progreſsio per annos centeſimos, reſpondetq; anno. 100. Aureus. numerus. 5. duplicandus erit Aureus numerus. 5. vt componatur Aureus numerus. 10. pro anno. 200. quandoquidem ſingulis annis. 100. Aureus numerus augetur. 5. vnitatibus. Aureo numero vero. 10. iterum addendus erit Aureus numerus. 5. centeſimi anni, vt gignatur Aureus numerus. 15. pro anno. 300. atq; ita proſequentibus annis conteſimis vſq; ad. 1000. addendus ſemper eſt. Aureus numerus. 5. præcedenti Aureo numero, & reijcienda. 19. quando poſſunt reijci, vt exurgat ſequens Aureus numerus. Hac arte tabulam extendere poteris ad quotcunq; annos, ſi obſerues, per quos annos tabula progrediatur, & qui Aureus numerus reſpondeat illi anno, à quo progreſsio incipit. Ita vides ab anno milleſimo vſq; ad annum. 10000. præcedenti Aureo numero ſemper adiectum eſſe Aureum numerum. 12. & abiecta eſſe. 19. quando reijci potuerunt: quia progreſsio annorum incipit tunc ab. 1000. proceditq; per annos milleſimos vſq; ad annum. 10000. & preterea anno. 1000. reſpondet Aureus numerus. 12. &c.

Porro ſine hac tabula facilimo quoq; negotio per præcepta Arithmetices Aureus numerus cuius libet anni reperietur hoc modo. Anno Domini propoſito addatur. 1. & numerus compoſitus per.

19.

19. diuidatur. Numerus enim, qui ex diuiſione relinquitur. (nulla habita ratione quotientis numeri. Hic enim ſolum oſtendit, quot reuolutiones Aurei numeri a Chriſto vſque ad annum propoſitum peractæ ſint) erit Aureus numerus anni propoſiti. Et ſi ex diuiſione nihil remanet, erit Aureus numerus 19. Vt ſi quæratur Aureus numerus anni 1584. Addo 1. & compoſitum numerum 1585. diuido per 19. inuenioque ex diuiſione relinqui 8. Erit ergo anno 1584. Aureus numerus 8. Rurſus ſi anno 1595. quærendus ſit Aureus numerus: addita vnitate, fit numerus 1596. quo diuiſo per 19. nihil ſupereſt. Erit igitur tunc Aureus numerus 19. Item ſi anno 1600. addatur 1. fiet numerus 1601. quo diuiſo per 19. relinquentur 5. pro Aureo numero anni 1600. Atque ita de cæteris.

## CANON II.

### ¶ *DE Epactis & nouilunijs.*

EPacta nihil aliud eſt, quàm numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365. annum communem Lunarem dierum 354. ſuperat: ita vt Epacta primi anni ſit 11. cũ hoc numero annus Solari communis Lunarem annum cõmunem excedat: atq; adeo ſequenti anno Nouilunia contingant 11. diebus prius, quàm anno primo. Ex quo fit, Epactam ſecundi anni eſſe 22. cum eo anno rurſum annus Solaris Lunarem annum ſuperet 11. diebus, qui additi ad 11. dies primi anni efficiunt 22. ac proinde, finito hoc anno, Nouilunia contingere 22. diebus, prius, quàm primo anno: Epactam

autem tertij anni eſſe 3. quia ſi rurſus 11. dies ad 22. adijciátur, efficietur numerus 33. à quo ſi reijciantur 30. dies, qui vnam Lunationem Emboliſmalem conſtituunt, relinquentur 3. atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuū augmentum 11. dierum, abiectis tamen 30. quãdo reijci poſſunt. Solum quando peruentum erit ad vltimá Epactam Aureo numero 19. reſpondentem, quæ eſt 29. adduntur 12. vt abiectis 30. ex compoſito numero 41. habeatur rurſus Epacta 11. vt in principio. Quod ideo fit, vt vltima Lunatio Emboliſmica, currente Aureo numero 19. ſit tantum 29. dierum. Si enim 30. dies contineret, vt aliæ ſex Lunationes Emboliſmicæ, non redirent Nouilunia poſt 19. annos Solares ad eoſdem dies, ſed verſus calcem menſium prolaberentur, contingerentque vno die tardius, quam ante 19. annos. De qua re plura inuenies in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani. Sunt autem nouemdecim Epactæ, quot & Aurei numeri, reſpondebantq; ipſis Aureis numeris ante Kalendarij correctionem eo modo, quo in hac tabella diſpoſitæ ſunt.

¶ *Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ante Kalendarij correctionem.*

| Aure. nu. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Epactæ | xj. | xxij. | iij. | xiiij. | xxv. | vj. | xvij. | xxviij. |

| 9. | 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. | 16. | 17. | 18. | 19. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ix. | xx. | j. | xij. | xxiij. | iiij. | xv. | xxvj. | vij. | xviij. | xxix. |

Quis

Quia vero cyclus decennouennalis Aurei numeri imperfectus eſt, cum Nouilunia poſt 19. annos Solares non præciſe ad eadem loca redeant, vt dictum eſt, imperfectus etiã erit hic cyclus 19. Epactarum. Quam obrem eum ita emẽdauimus, vt in poſterũ loco Aurei numeri, & dictarũ 19. Epactarũ vtamur 30. numeris Epactalibus ab 1. vſque ad 30. ordine progredientibus, quãuis vltima Epacta, ſiue quæ ordine eſt trigeſima, notata numero non ſit, ſed ſigno hoc *. propterea quòd nulla Epacta eſſe poſſit 30. Varijs autẽ temporibus ex his 30. Epactis reſpõdẽt decem & nouẽ Aureis numeris variæ decẽ & nouẽ Epactæ, prout Solaris anni, ac Lunaris æquatio expoſcit: quæ quidẽ decẽ & nouem Epactæ progrediũtur, vt olim, per eundem numerũ 11. adduntúrq; ſẽper 12. illi Epactæ, quæ reſpondet Aureo numero 19. vt habeatur ſequens Epacta reſpondens Aureo numero 1. ob rationem paulo ante dictam. Id quod ſequentes tres tabellæ perſpicuũ faciunt: quarũ prima cõtinet Aureos numeros, & Epactas inter ſe reſpondentes ab anno correctionis 1582. poſt detractionem x. dierum, vſq; ad annũ 1700. excluſiue, quo anno ſecunda tabella aſſumenda eſt, & tertia anno 1900. atq; ita deinceps alia atq; alia, vt infra docebimus. Quæ quidẽ omnia vberius in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani explicãtur. Quãuis autem vulgares Epactæ mutẽtur in Martio, re ipſa tamen in principio anni mutandæ ſunt, vna cum Aureo numero, in cuius locum hæ noſtræ Epactę ſuccedunt.

Quælibet autem tabella ab eo Aureo numero initiũ

ſumit,qui illo ãno currit, à quo Vſus tabellę incipit: Et licet in his tabeliis diuerſæ ſemper Epactæ Aureis numeris reſpondeant, aliquando tamen cõtinget, vt eiſdem Aureis numeris eædem Epactæ reſpondeant, quę olim ante correctionem Kalendarij.

*Tabella Epactarum reſpondentiũ Aureis numeris ab Idib' Octobris ãni correctionis 1582. detractis prius x. diebus, vſq; ad annũ 1700. excluſiue.*

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aure.nu. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 11. | 12. | 13. |
| Epactæ. | xxvj. | vij. | xviij. | xxix. | x. | xxj. | ij. | xiij. |

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 14. | 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. |
| xxiiij. | v. | xvj. | xxvij. | viij. | xix. | j. | xij. | xxiij. | iiij. | xv. |

*Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ab anno. 1700. incluſiue vſque ad annum 1900. excluſiue.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. | 16. | 17. |
| ix. | xx. | j. | xij. | xxiij. | iiij. | xv. | xxvj. |

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 18. | 19. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. |
| vij. | xviij. | *. | xj. | xxij. | iij. | xiiij. | xxv. | vj. | xvij. | xxviij |

*Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ab anno 1900. incluſiue vſque ad annum 2200. excluſiue.*

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. | 2. | 3. | 4 | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. |
| xxix. | x. | xxj. | ij. | xiij. | xxiiij. | v. | xvj. | xxvij. |

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15 | 16. | 17. | 18. | 19. |
| viij. | xix. | *. | xj. | xxij. | iij. | xiiij. | 25. | vj. | xvij. |

Itaque ſi Epacta quocũque áno propoſito inue-
nienda ſit, quęrendus eſt Aureus numerus illius áni in ſuperiori ordine illius tabellę, quę illi tempori in quo propoſitus ánus continetur, cõgruit. Mox enim ſub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta áni propoſiti, vel certe hoc ſignum *. Vbi ergo illa Epacta, vel ſignum * in Kalendario inuentum fuerit, eo die Nouilunium fiet. Inuenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum propoſito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi áno, à quo vſus tabellæ incipit, & ſecundum Aureum numerum ſequenti áno, &c. Eodem modo reperietur Epacta ſine Aureo numero, ſi prima Epacta tabellę tribuatur illi áno, à quo eius vſus incipit, & ſecũda Epacta ſequenti áno, &c.

Exemplum. Anno correctionis 1582. Aureus numerus eſt 6. nempe primæ tabellæ, cuius vſus incipit ab Idibus Octobr. áni correctionis 1582. detractis prius x. diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj. quæ ſub Aureo numero 6. collocatur, fietq; Nouilunium die 27. Octobr. & 26. Nouemb. & 25. Decemb. Item áno 1583. iam correcto Aureus numerus eſt 7. cui in eadem tabella ſupoſita eſt Epacta vij. quæ toto eo áno in Kalẽdario Nouilunia indicabit: vt in Ianuario die 24. in Feb. 22. In Martio die 24. &c. Rurſus áno 1710. Aureus numerꝰ eſt 1. ſub quo in ordine Epactarũ ſecũdę tabellę, quę áno propoſito cõgruit, collocatur hoc ſignũ * quod in Kalẽ-

dario toto eo anno Nouilunia demonſtrabit: nimirum in Ianuario die 1. & 31. In Martio (nam in Febr. nullum tunc erit Nouilunium, cũ in eo ſignũ *. non reperiatur) die 1. & 31. In Aprili die 29. &c. Poſtremo anno 1916. Aureus numerus eſt 17. ſub quo in ordine Epactarum tertiæ tabellæ, quæ propoſito anno congruit, reperitur Epacta 25. non rubro colore, & antiquo numero, vt aliæ Epactæ, ſed nigro atramẽto, & vulgari numero ſcripta. Vbicũq; ergo anno 1916. in Kalendario Epacta 25. nigra reperitur, ibi Nouilunium fit: Vt in Ianuario die 6. in Februario die 4. In Martio die 6. In Aprili die 4. &c. Quotieſcumque enim Epacta 15. reſpondet Aureis numeris maioribus, quam 11. quales ſunt poſteriores octo a 12. vſque ad 19. ſumenda eſt in Kalendario Epacta 25. nigra: quando vero eadem Epacta 25. reſpondet minoribus Aureis numeris, quàm 12. quales ſunt priores vndecim ab 1. vſq; ad 11. incluſiue, accipienda eſt in Kalendario Epacta xxv. rubra, & antiquo numero ſcripta: Atque hoc ſolum contingit in Epacta 25. & in alijs nunquam. Quod ideo fit, vt anni Lunares perfectius Solaribus annis reſpondeant. Ob quam etiam cauſam in ſex locis Kalẽdarij duæ Epactę, ſcilicet xxv. & xxiiij. ad eundem diem ſunt aſcriptæ, vt nimirum Lunationes ita ſibi mutuo ſuccedant, vt alternatim ſex cõtineant dies 30. & ſex aliæ dies tantum 29. complectantur. Id quod abunde in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani explicatum eſt.

Quod ſi quando Epactæ per dies Kalendarij diſtributæ indicẽt Nouilunia paulo ſerius, quàm res poſtu-

poſtulet, mirandum non eſt, cũ maturo conſilio ita ſint diſpoſitæ. Cum enim nullus cyclus Lunaris ad vnguẽ calculo Aſtronomico reſpõdere poſsit, ſed modo citius, modo tardius Nouilunia indicet, data eſt diligenter opera in diſtribuendo cyclo hoc 30. Epactarum in Kalendario, vt potius Nouilunia ſerius aliquando per Epactas demonſtrentur, quàm vt aliquando ſedes ſuas anteuertant, ne cum Quartadecimanis hæreticis ſacroſanctum Paſcha vel in xiiij. Luna, vel ante celebretur: Adeo vt propter celebrationem Paſchæ maior ſit habita ratio xiiij. Lunæ, vel Plenilunij, quàm Nouilunij, neque magni refert, ſi aliquando, quod raro tamen accidit, propter hanc Nouilunij poſtpoſitionem contingat. Paſcha celebrati poſt diem xxj. Lunæ. Minus enim hoc peccatum eſt, quàm ſi ante diem xiiij. Lunæ celebretur, vel in vltimo menſe, quod eſſet abſurdiſsimũ. Sed de his plura in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani, vbi etiã hypoteſes, quę in hac correctione Kalẽdarij aſsũptæ ſunt, in medium afferentur.

Verum, vt videas, vnde præcedentes tres tabellæ ſint deprõptę, & qua arte aliæ cõſtrui poſsint, addita eſt ſequẽs tabella cycli Epactarum perpetua, vna cũ tabula æquationis cycli Epactarũ, ex qua cuiuſq; anni Epacta reperietur in perpetuũ. Rationẽ cõſtructionis tã tabellæ cycli Epactarũ perpetuæ, quàm tabulæ æquationis cycli Epactarum, quoniã paucis explicari nõ poteſt, deſumunturq; literæ alphabeti ex tabula cycli Epactarũ expãſa, cõſulto in librũ nouæ rationis reſtituẽdi Kalendarij Romani, vbi tabula illa expanſa continetur, reijcimus.

## *Tabella Cycli Epactarum Perpetua.*

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| P. | I. | C. | c. | p. | F. | 25. | f. | s. | M. | 1. | A. |
| *. | xj. | xxij. | iij. | xiij. | xxv. | | vi. | xvij. | xxviij. | ix. | xx. |
| a. | m. | D. | d. | q. | G. | | g. | t. | N. | K. | B. |
| i. | xij. | xxiij. | iiij. | xv. | xxvj. | | vij. | xviij. | xxix. | x. | xxj. |
| b. | o. | E. | e. | r. | H. | | h. | u. | | | |
| ij. | xiij. | xxiiij. | v. | xvj. | xxvij. | | viij. | xix. | | | |

## *Tabula ęquationis Cycli Epactarum perpetui.*

| | Anni Dñi. | | Anni Dñi. | | Anni Dñi. |
|---|---|---|---|---|---|
| N | I | A | 2200. | q | 3600. Biſſ. |
| P | 320. Biſſ. | u | 2300. | p | 3700. |
| P | 500. Biſſ. | A | 2400. Biſſ. | n | 3800. |
| a | 800. Biſſ. | b | 2500. | n | 3900. |
| b | 1100. Biſſ. | t | 2600. | n | 4000. Biſſ. |
| c | 1400. Biſſ. | t | 2700. | m | 4100. |
| Detractis x. diebꝰ. | | t | 2800. Biſſ. | l | 4200. |
| D | 1582. | s | 2900. | l | 4300. |
| D | 1600. Biſſ. | s | 3000. | l | 4400. Biſſ. |
| C | 1700. | r | 3100. | K | 4500. |
| C | 1800. | r | 3200. Biſſ. | K | 4600. |
| B | 1900. | r | 3300. | i | 4700. |
| H | 2000. Biſſ. | q | 3400. | i | 4800. Biſſ. |
| B | 2100. | p | 3500. | i | 4900. |

Vtriuſque autem vſus hic eſt. Quęratur in tabula æquationis annus propoſitus, vel ſi in tabula non inuenitur, annus proximè minor, noteturq; litera alphabeti ſiue maiuſcula, ſiue minuſcula ad ſini-

ſtram ipſius collocata, & Aureus numerus inueſtigetur áno propoſito cógruens. Deinde in tabella cycli Epactarum perpetua ſimilis litera notetur, & cellulę, quę ab illa litera incluſiue tertia eſt verſus ſiniſtram. Aureus numerus 1. tribuatur, & ſequẽti cellulę ad dexteram ſubſequens Aureus numerus 2. & ita deinceps, donec ad Aureum numerum propoſiti áni perueniatur, redeundo ad principium tabellę, ſi eam totam percurreris, cóputata quoque litera F, maiuſc. ſub qua Epacta xxv. rubra: & Epacta 25. nigra collocatur, pro vna cellula. His enim rite peractis, illico in cellula, in quam Aureus numerus propoſiti anni cadit, Epacta illius anni reperietur. Diligenter tamen obſeruandum eſt, vt quando Aureus numerus anni propoſiti maior fuerit, quàm 11. quales ſunt poſteriores octo Aurei numeri à 12. vſque ad 16. cecideritque in cellulam literę F, vbi ſunt duę Epactę xxv. 25. vna rubra, & altera nigra, ſumatur Epacta 25. nigra: rubra vero xxv. ſi in eandem cellulam aliquis ex prioribus vndecim Aureis numeris ab 1. vſque ad 11. qui omnes minores ſunt, quàm 12. ceciderit.

Exemplis planum id faciemus. Anno 1582. poſt correctionem reſpondet in tabula ęquationis litera D, maiuſcu. eſtque Aureus tunc numerus 6. Si igitur in tabella cycli Epactarú perpetua tribuas cellulę literę a, minuſculę, quę tertia eſt à cellula literę D, maiuſc. Aureum numerum 1. & ſequenti cellulę ad dexteram Aureum numerum 2. & ita deinceps, cadet Aureus numerus 6. anni propoſiti 1582. in cellulam Epactę xxvj. quæ in Kalendario

ab

ab Idibus Octobris illius anni Nouilunia monſtrabit. Rurſus anno 1583. iam emendato Aureus numerus eſt 7. eique in tabula æquationis reſpondet litera eadem D, maiuſc. Quoniam enim hic annus in tabula non reperitur, ſumendus eſt proxime minor, nempe 1582. cui litera D, maiuſc. reſpondet. Tribuendo ergo in tabella Epactarum Aureum numerum 1. cellulæ literæ a, minuſc. quæ tertia eſt à cellula literæ D, maiuſc. & Aureum numerum 2. ſequenti cellulæ ad dexteram, & ſic deinceps, cadet Aureus numerus 7. propoſiti anni in cellulam Epactæ vij. quæ eo anno Nouilunia oſtendet. Item anno 4218. in tabula æquationis reſpondet litera l, eſtque Aureus numerus 1. Igitur ſi in tabella Epactarum Aureum numerum 1. illius anni tribuas cellulæ literæ u, quæ tertia eſt à cellula literæ l, verſus ſiniſtram, inuenies Epactam xix. illius anni. Præterea anno 1710. reſpondet litera C, maiuſc. in tabula æquationis, eſtque rurſum Aureus numerus 1. Quare ſi Aureum numerum 1. illius anni tribuas primæ cellulæ literæ P, maiuſc. in tabella Epactarum, quæ tertia eſt à litera C, maiuſc. reperies *. pro Epacta illius anni. Rurſus anno 1912. reſpondet in tabula æquationis litera B, maiuſc. & eſt Aureus numerus 13. Quapropter ſi tribuatur in tabula Epactarũ perpetua cellulę literæ N, maiuſc. quæ tertia eſt à litera B, maiuſc. Aureus numerus 1. & ſequẽti cellulę ad dexterã Aure⁹ numer⁹ 2. & ita deinceps, redeũdo ad principiũ tabellæ, cadet Aure⁹ numerus 13. ꝓpoſiti anni in ſecũdã cellulã. Quare Epacta tũc

erit

erit xj. Adhuc áno 1715. reſpondet in tabula æquationis litera C, maiuſc. eſtque Aureus numerus 6. Tribuendo ergo Aureum numerum 1. cellulæ literæ P, maiuſc. in tabella Epactarum, quæ tertia eſt a cellula literæ C, maiuſc. & Aureum numerum 2. ſequẽti cellulæ ad dexteram, & c. cadet Aureus numerus 6. propoſiti áni in cellulam literæ F, ſub qua ponũtur duę Epactæ xxv. 25. vna rubra, & altera nigra. Quia vero Aureus numerus 6. minor eſt, quàm 12. accipiẽda eſt Epacta xxv. rubra ꝑ áno 1715. Poſtremo áno 1916. in tabula æquationis reſpódet litera B, maiuſc. eſtque Aureus numerus 17. Quamobrem ſi in tabella Epactarum cellulæ literæ N, quæ tertia eſt à cellula literę B, maiuſc. detur Aureus numerus 1. & ſequẽti cellulæ ad dexteram Aureus numerus 2. & cet. redeũdo ad principium tabellæ, occurret Aureus numerus 17. propoſiti áni eidem cellulæ literæ F, ſub qua duæ Epactæ xxv. 25. rubra vna, & altera nigra, ponuntur. Et quoniam Aureus numerus 17. maior eſt, quàm 11. accipiẽda eſt Epacta 25. nigra pro áno 1916. Atque hoc modo Epactam cuiuslibet áni inuenies in perpetuum.

Ex his facile quiuis tabellam componere poterit, ſi velit, ſimilem tribus ſuperioribus, in qua numerum Epactæ cótineãtur certis quibuſdam ánis inſeruiẽtes. Vt quoniam vſus tertiæ tabellæ extẽditur vſque ad ánum 2200. excluſiue, ſi quis aliam tabellam optet, cuius vſus incipiat áno 2200. quærenda erit, vt iam docuimus, Epacta anni 2200. Si namque ordine diſponãtur omnes 19. Aurei nume

ri

ti, initio facto ab Aureo numero áni 2200, & ſub Aureo numero dicti anni collocetur Epacta eiuſdem anni inuenta: deinde reliquæ Epactæ ordine ſub alijs Aureis numeris collocentur, quæ per cõtinuam additionem numeri 11. ad prçcedentem Epactam conſtituantur, ita tamen, vt Epactę ſub Aureo numero 19. poſitæ, ſi hic Aureus numerus in tabella vltimus non fuerit, addantur 12. non autem 11. vt ſupra diximus: compoſita erit tabella Epactarum, cuius vſus incipiet ab áno 2200. incluſiue, terminabiturque áno 2299. quandoquidem áno 2300. in tabula æquationis alia litera reſpondet, nempe u, ita vt tunc ſit alia tabula extruenda. Verbi gratia, dicto anno 2200. reſpondet in tabula æquationis litera A, maiuſc. eſtque Aureus numer⁹ 16. Si igitur tribuamus Aureum numerum 1. cellulę literæ M, maiuſc. in tabella perpetua Epactarum, quę tertia eſt a cellula literæ A, & ſequenti cellulæ ad dexteram Aureum numerum 2. &c. incidet Aureus numerus 16. dicti áni 2200. in cellulam literæ n, minuſc. ſub qua reperitur Epacta xiij. illius áni. Quocirca tabella epactarum reſpondentium Aureis numeris, initio ſumpto ab Aureo numero 16. & Epacta xiij. illius anni ſic ſtabit.

¶ *Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ab anno 2200. incluſiue vſq; ad annum 2300. excluſiue.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 16. | 17. | 18. | 19. | 1. | 2. | 3. | 4. |
| xiij. | xxiiij. | v. | xvj. | xxviij. | ix | xx. | j. |

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10 | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. |
| xij. | xxiij. | iiij. | xv. | xxvj. | vij. | xviij | xxix. | x. | xxj. | ij. |

Sed eædem hæ Epacta facilius ex tabella cycli Epactarum perpetua extrahi poſſunt. Cum enim Aureus numerus 1. tribuatur cellulæ literæ M, maiuſc. & Aureus numerus 2. ſequenti cellulæ ad dexteram vbi eſt litera j. & Aureus numerus 3. ſequẽti cellulæ ad dexteram, vbi eſt litera A, maiuſcu. Aureus numerus vero 4. ſequẽti ad huc cellulæ ad dexteram, in qua deſcripta eſt litera a, minuſc. &c. vt dictum eſt, ſcribẽdæ erunt Epactæ ſub Aureis numeris huius tabellæ temporariæ, quemadmodũ in tabella illa cycli Epactarum perpetua Aureis numeris reſpondent, vt in exemplo factum eſſe vides Hinc facile apparet, qua ratione ſuperiores tres tabellæ Epactarum temporariæ ſint compoſitæ. Faciliores porrò vias inueniendæ Epactæ cuius libet áni reperies in libro nouę rationis reſtituendi Kalendarij Romani, quarum vna ex tabula Epactarũ expanſa, duæ vero alię ex rota mobili deſumũtur: quas, quoniam maius ſpatium expoſcunt, & non tam facile imprimi poſſunt, dedita opera hic omittimus.

## CANON. III.

### *De Cyclo Solari, ſiue literarum Dominicalium 28. annorum.*

CYclus Solaris, ſeu literarum Dominicalium, eſt reuolutio numeri 28. annorum ab 1. vſq; ad 28. qua reuolutione peracta, iterum ad vnitatem reditur, initiumque ſumit quilibet ánus huius Cycli a Ianuario, veluti de cyclo decennouénali Aurei numeri dictum eſt. Procreatur autem cyclus hic Solaris 28. ánorum ex multiplicatione 7. per 4.

pro-

propterea quòd propter ſeptem dies hebdomadæ ſeptem ſunt literæ Dominicales, & quouis quarto anno vnus dies intercalatur, ita vt tunc ordo ille ſeptem literarum interrumpatur, recipianturque duę literæ Dominicales. Hoc cyclo litera Dominicalis cuiuſque anni inueſtigatur in perpetuum, vt ad finē ſequentis canonis docebimus.

Vt igitur quolibet anno propoſito numerus cycli Solaris reperiatur, compoſita eſt ſequens tabella, cuius vſus incipit ab anno correctionis 1582. duratque in perpetuum. Ex qua numerus cycli Solaris, quocunque anno currens poſt annum 1582. inueſtigabitur hoc modo.

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 23. | 24. | 25. | 26. | 27. | 28. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 11 |
| 21. | 13. | 14. | 15. | 16. | 17. | 18. | 19. | 20. | 21. | 22. | | | | | | |

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui eſt 23. ſecundus autem, qui eſt 24. ſequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitū, donec ad annum, cuius numerum cycli Solaris quæris, perueniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcunque eā percurreris. Nam cellula, in quam cadit annus propoſitus, numerum cycli Solaris quæſitum indicabit.

Sed quoniam valde laborioſum eſt, ac moleſtum, tot annos in dicta tabella enumerare, eamque toties repetere, donec ad annum propoſitum perueniatur, præſertim vero, ſi annus propoſitus procul ab anno 1582. abſit, conſtruximus hanc aliam tabulam, ex qua ſine magno labore cycli Solaris numerus quolibet anno tam ante, quàm poſt annum 1582, inuenietur hac ratione.

Quæ-

## ¶ *Tabula ad numerum Cycli Solaris cuiuslibet anni inueniendum.*

| Anñi Dñi. | Cyclus Solaris Adde. 9 | Anñi Dñi. | Cyclus Solaris Adde. 9 |
|---|---|---|---|
| 1 | 1 | 300 | 20 |
| 2 | 2 | 400 | 8 |
| 3 | 3 | 500 | 24 |
| 4 | 4 | 600 | 12 |
| 5 | 5 | 700 | 0 |
| 6 | 6 | 800 | 16 |
| 7 | 7 | 900 | 4 |
| 8 | 8 | 1000 | 20 |
| 9 | 9 | 2000 | 12 |
| 10 | 10 | 3000 | 4 |
| 20 | 20 | 4000 | 24 |
| 30 | 2 | 5000 | 16 |
| 40 | 12 | 6000 | 8 |
| 50 | 22 | 7000 | 0 |
| 60 | 4 | 8000 | 20 |
| 70 | 14 | 9000 | 12 |
| 80 | 24 | 10000 | 4 |
| 90 | 6 | 20000 | 8 |
| 100 | 16 | 30000 | 12 |
| 200 | 4 | 40000 | 16 |

Quæratur annus propoſitus in tabula ſub annis Domini, qui ſi deſcriptus in ea fuerit, numerus ad dexteram ipſius collocatus, additis prius 9. vt in ver-

verticetabulæ præcipitur,& reiectis 28.poſt hanc additionem, ſi reijci poſſunt,erit numerus cycli So laris,qui quæritur.Si vero annus propoſitus in tabula non continetur,accipiatur annus in tabula cõtentus proxime minor,vna cum numero cycli Solaris reſpondente: Deinde ſumantur in eadem tabula anni, qui ſuper ſunt,vna cum numero cycli Solaris reſpondente,qui priori numero cycli Solaris inuento addatur, reijcianturque à compoſito numero 28. ſi reijci poſſunt. Et tandem addantur 9. Numerus enim compoſitus,reiectis prius 28. ſi poſſunt reijci, erit numerus cycli Solaris quæſitus. Quòd ſi neque anni,qui ſuperfuerunt, in tabula reperiantur, accipiendus erit rurſum ãnus proxime minor, vna cum numero cycli Solaris reſpondente, qui priori numero cycli Solaris inuento adijciendus eſt, & à compoſito numero reijcienda 28. ſi reijci poſſunt: Idemque faciendum erit cum reliquis ãnis, qui ſuperſunt,donec omnes in tabula inueneris: Et tãdem vltimo numero cycli Solaris ex numeris cycli Solaris in tabula repertis confecto addenda 9. & à ſumma, quæ conſlabitur reijcienda 28.ſi reijci poſſunt. Conficietur enim hoc modo numerus cycli Solaris ãni propoſiti. Quòd ſi poſt additionem 9. numerus compoſitus fuerit 28. ita vt poſt detractionem 28. nihil remaneat, erit numerus cycli Solaris 28.

Exemplis rem illuſtrabimus. Inueniendus ſit numerus cycli Solaris ãno 1000. Quoniam hic ãnus in tabula reperitur, eique reſpondet numerus 20.ſi addantur 9. fiet numerus 29. à quo ſi reijciantur

28.

28. remanebit 1. pro numero cycli Solaris anno 1000. Rurſus inquirendus proponatur numerus cycli Solaris anno 1582. Quoniam hic annus in tabula non inuenitur, ſumendus eſt annus 1000. in tabula proxime minor, eiuſq; numerus cycli Solaris 20. Deinde accipiendi in tabula anni reſidui 582. qui quoniam in ea non continetur, ſumendus iterum eſt annus 500. in tabula proxime minor, eiuſq; numerus cycli Solaris 24. quo ad priorem numerum cycli Solaris 20. inuentum adiecto, conficietur numerus 44. à quo ſi detrahantur 28. remanebunt 16. Poſt hæc anni 82. qui ſuperſunt, accipiendi in tabula, ſed quia non reperiuntur, ſumendus eſt annus 80. in tabula proxime minor, eiuſq; numerus cycli Solaris 14. quo adiecto ad numerum cycli Solaris 16. prius compoſitum, efficietur numerus 40. à quo ſi ſubtrahantur 28. relinquentur 12. Tandem accipiendi ſunt reliqui anni 2. in tabula, & numerus cycli Solaris 2. illis reſpondens: quo appoſito ad numerum cycli Solaris 12. proxime relictum, componetur numerus 14. Ad quem poſtremo ſi addantur 9. vt in vertice tabulæ iubetur, fiet numerus cycli Solaris 23. anni 1582. Deniq; inueſtigandus ſit numerus cycli Solaris anno 7075. Accipio primum numerum cycli Solaris 0. è regione anni 7000. eumq; addo numero cycli Solaris 14. è regione anni 70. reperto efficioq; numerum 14. Deinde huic numero 14. adiungo numero cycli Solaris 5. anno 5. reſpondentem, & procreo numerum 19. Cui tandem appono 9. efficioq; numerum cycli Solaris 28. pro anno 7075.

Adduntur autem ſemper 9. vltimo numero, quia Chriſtus anno decimo huius cycli Solaris natus eſt, fuitq; anno Dñi primo numerus cycli Solaris 10. & anno ſecundo numerus cycli Solaris 11. &c:

Cōpoſitio quoq; huius tabulæ non differt à cōſtructione tabulæ pro Aureo numero inueniendo, niſi quòd hic reijcienda ſunt 28. non autem 19. vt ibi. Quocirca facile eam extēdere poteris ad quotcunq; annos volueris.

Cæterum ſine hac tabula facili admodū negotio per præcepta Arithmetices numerus cycli Solaris quolibet anno propoſito inuenietur hoc modo. Anno Domini propoſito addantur 9. & cōpoſitus numerus per 28. diuidatur. Numerus enim, qui ex diuiſione relinquitur, (nulla habita ratione quotientis numeri. Hic enim ſolum indicat, quot, reuolutiones cycli Solaris à Chriſto vſq; ad annum propoſitum peractæ ſint.) erit numerus cycli Solaris anni propoſiti. Et ſi ex diuiſione nihil remanet, erit numerus cycli Solaris 28. Vt ſi quæratur numerus cycli Solaris anno 1582. Addo 9. & compoſitū numerum 1591. diuido per 28. inuenioq; ex diuiſione relinqui 23. Anno ergo 1582. numerus cycli Solaris erit 23. Rurſus ſi deſideretur numerus cycli Solaris anno 1587. Addo 9. & facio 1596. quē numerum partior per 28, reperioque nihil ſupereſſe: Anno igitur 1587. numerus cycli Solaris erit 28. Et ſic de cæteris.

## CANON IIII.

## ¶ DE LITERA DOMINICALI.

QVO

QVoniam tum propter decem dies ablatos ex menſe Octobri anni 1582. tum etiã propter tres Biſſextos quibuſque quadringentis annis omittendos, vt in libro nouę rationis reſtituendi Kalendarij Romani, & in Bulla correctionis anni à Gregorio xiij. Pôt. Opt. Max. ſancitũ eſt, cyclus literarum Dominicalium quibuſq; 28. annis in ſeipſum rediens, & ad hanc vſq; diem ab Eccleſia Romana vſitatꝰ interrumpatur neceſſe eſt, proponimus ſequentem tabellam literarũ Dominicaliũ omnibus annis poſt Idus Octobris anni correctionis 1582. (detractis prius x. diebus) vſui futuram vſq; ad annum 1700. excluſiue.

¶ *Tabella literarum Dominicaliũ ab Idibus Octobris anni correctionis 1582, (detractis prius x. diebus) vſque ad annum 1700. excluſiue.*

| | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c | b | A g | f | e | d | c b | A | g | f | e d | c | b | A | g f | e | d |
| c | b A | g | f | e | d c | b | A | g | f e | d | | | | | | |

Vſus huius tabellæ hic eſt. Anno correctionis 1582. poſt Idus octobris (detractis prius x. diebus) tribuatur litera c, primæ cellulæ, & ſequenti anno 1583. litera b, ſecundæ, & anno 1584. dentur literæ A, g, tertiæ cellulæ, & ſic deinceps alijs annis ordine aliæ cellulæ tribuãtur, donec ad annũ propoſitũ peruentũ ſit, redeũdo ad principiũ tabellæ, quotieſcũq; eam percurreris. Nã cellula, in quam annus

propoſitus cadit, dummodo minor ſit, quàm annus 1700. dabit literam Dominicalem propoſiti anni. Quæ ſi vnica occurrerit, annus erit cõmunis: ſi vero duplex, Biſſextilis, & tunc ſuperior litera Dominicam diem oſtẽdet in Kalendario à principio anni vſq; ad feſtum S. Matthiæ Apoſtoli, inferior autẽ ab hoc feſto vſq; ad finem anni. Exempli gratia. Sit inuenienda litera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582. quem tribue primæ literæ c, vſq; ad annum 1587.. tribuendo ſingulis cellulis ſingulos annos, ( computãdo geminas literas quaſcũq; ſuperiorem & inferiorem, pro vna cellula) cadetq; annus 1587. in literam d, quæ ſextum locum in tabella occupat. Eſt ergo toto eo anno litera Dominicalis d, annuſq; cõmunis eſt, cum litera ſimplex occurrat. Rurſus ſit inueſtiganda litera Dominicalis anno 1616. Numera ab anno 1582. vt dictum eſt, vſq; ad annum 1616. redeundo ad principium tabellæ, poſtquam eam percurreris, peruenieſq; ad duas haſce literas c, b, ſeptimo loco poſitas. Eſt ergo annus ille Biſſextilis, cum duplex litera occurrat, ſuperiorq; litera c, Dominicam diem indicabit à principio anni illius vſq; ad feſtum S. Matthiæ, inferior autem b, in reliqua parte anni.

Verum vt in annis, qui parum ab anno 1700. diſtant, facilior reddatur numeratio, & ne ſæpius ad principium tabellæ cogaris redire, componenda erit tabella quædam annorum hac arte. Ad annũ 1582. à quo vſus tabella literarum Dominicalium incipit, adantur 28. [& iterum 28. ad numerum compoſitum, & ſic deinceps, ita tamen, vt vltimus

annus

annus minor ſit onno 1700. ad quem vſus tabellæ literarũ Dominicaliũ non peruenit. Itaque ſi annus, cuius litera Dominicalis quæritur, in hac tabella annorum continetur, erit prima litera tabellæ literarum Dominicalium Dominicalis eo anno. Si vero non continetur, ſumendus eſt in tabella annorum annus proxime minor, & ab eo numerandum in ſupradicta tabella literarum Dominicalium, initio facto à prima cellula, vſque ad annum propoſitum. Peruenietur enim hac numeratione ad literam Dominicalem, ita vt nunquam ad principium tabellæ redeundum ſit. Vt ſi annus propoſitus ſit 1638. qui in hac tabella reperitur, erit eo anno litera Dominicalis c, quæ prima eſt in tabella literarum Dominicaliũ. Si autem annus propoſitus ſit 1647. qui in hac tabella non continetur, numerandum erit in tabella literarum Dominicalium ab anno 1638. proxime minori vſq; ad datũ annũ 1647. tribuẽdo nimirũ annũ 1638. primæ cellulæ, & ſequentẽ añnũ 1639. ſecundæ cellulæ, &c. Cadet enim hoc modo annus propoſitus 1647. in decimã cellulã literæ f, quę tertia eſt poſt Biſſextũ, & Dominicalis eo anno.

| Anni à quibus tabellã literarũ Dominicalium incipit. |
|---|
| 1582 |
| 1610 |
| 1638 |
| 1666 |
| 1694 |

Finito autẽ añno 1699. in cuius fine vſus ſuperioris tabulę literarũ Dominicaliũ terminatur, aſſumẽda eſt ſequens tabella literarũ Dominicaliũ, cuius vſus ab anno 1700. incipit, eſtq; perpetua, ſi adiũcta tabula ęquationis adhibeatur, hoc modo.

¶ *Tabella literarum Dominicalium ab anno* 1700 *incluſiue perpetua, ſi quibuſque* 400. *annis tres Biſſexti omittantur.*

| I | | | | II | | | | III | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| d<br>c | b | A | g | f<br>e | d | c | b | A<br>g | f | e | d | c<br>b | A | g |

| | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| f | e<br>d | c | b | A | g<br>f | e | d | c | b<br>A | g | f | e |

Inuenturus literam Dominicalẽ cuiuslibet anni, qui non minor ſit anno 1700. Vide in tabula æquationis, qui numerus ex antiquis Romanorum notis ad ſiniſtram anni propoſiti, vel (ſi is in tabula deſcriptus non eſt) anni proxime minoris reperitur, eumq; in tabella literarum Dominicalium perpetua nota. Si enim cellulæ huius numeri antiqui Romani tribuas annum in tabula æquationis acceptum, ſequentem vero annum ſequenti cellulæ, & ita deinceps, donec ad annum propoſitum perueneris redeundo ad principium tabellæ, ſi opus fuerit, incides in cellulam literæ Dominicalis, quam quæris. Quæ ſi fuerit ſimplex, annus propoſitus cõmunis erit, ſi vero duplex, Biſſextilis: exceptis annis illis centeſimis, in quibus dies intercalaris omittitur, quales ſunt omnes illi, & ſoli, qui in æquationis tabula expreſsi ſunt. In his enim quoniam communes ſunt, ex duabus literis inuentis inferior dũtaxat aſſumenda eſt relicta ſuperiore, quia hæc in anno præcedenti vſum habuit. In alijs centeſimis Biſſextilibus, cuiuſmodi ſunt omnes illi, qui in tabula æquationis notati non ſunt, vtraq; litera in-

uenta

nenta eſt accipienda, quemadmodum in alijs annis Biſſextilibus.

*Tabula æquationis ſupradictæ tabellæ literarum Dominicalium ab anno 1700. perpetuæ.*

| | Anni Dñi. | | Anni Dñi. | | Anni Dñi. |
|---|---|---|---|---|---|
| I | 1700 | I | 2900 | I | 4100 |
| II | 1800 | II | 3000 | II | 4200 |
| III | 1900 | III | 3100 | III | 4300 |
| I | 2100 | I | 3300 | I | 4500 |
| II | 2200 | II | 3400 | II | 4600 |
| III | 2300 | III | 3500 | III | 4700 |
| I | 2500 | I | 3700 | I | 4900 |
| II | 2600 | II | 3800 | II | 5000 |
| III | 2700 | III | 3900 | III | 5100. |

Exemplum. Anno 1710. reſpõdet in tabula æquationis hic numerus antiquus I. quia cum dictus annus in tabula non contineatur, accipiendus eſt ãnus 1700. proxime minor, cui reſpondet numerus I. Igitur ſi ab anno 1700. in tabula inuẽto fiat numeratio in tabella literarum Dominicalium perpetua per cellulas, vſque ad annum propoſitum 1710. initio facto à prima cellula, ſupra quam nimirum ponitur idem numerus antiquus I. qui in æquationis tabula repertus eſt, reperietur litera Dominicalis c, ſecunda poſt Biſſextum, eritque annus 1710. cõmunis, & ſecundus poſt Biſſextum. Rurſus ãno. 1912. reſpõdet in tabula æquationis numerus ãtiquus III. Numerando igitur ab ãno 1900. in tabula reperto in tabella literarum Dominicaliũ per cellulas, initio

ſumpto á nona cellula, ſupra quâ nimirũ poſitus eſt antiquus numerus III. vſq; ad annum 1912. inueniemus duas literas Dominicales g, f, eritq; annus ille Biſſextilis. Pręterea anno 1800. in tabula ęquationis reſpõdet antiquus numerus II. cui in tabella literarum Dominicalium reſpondent duæ literæ f, e, quarum inferior e, ſolum illi anno deſeruiet: quoniam annus eſt cõmunis, & ſuperior litera f, fuit Dominicalis anno præcedẽte 1799. Poſtremo, anno 3600. reſpondet in tabulla æquationis numerus antiquus III. prope annum 3500. proxime minorem. Si igitur ab anno 3500. in tabella literarũ Dominicalium numerentur cellulæ, ſumpto initio à nona cellula huius numeri III. inuenientur duæ hæ literæ b, A, quarum vtraq; accipienda eſt, quia annus ille centeſimus Biſſextilis eſt, cum in tabula æquationis non contineatur.

Hic autem vtendum erit quoq; artificio ſupra deſcripto, vt enumeratio facilior reddatur. Nempe conſtruenda erit tabella annorum, quæ per continuam additionem 28. ad annum in tabula æquationis inuẽtum progrediatur. Vt in proximo exemplo ad annum 3500. deinde ad compoſitum numerum 3528. &c. ita tamen, vt vltimus numerus compoſitus minor ſit, quam 3700. Hoc enim annõ alius numerus antiquus accipiendus erit in tabella literarum Dominicalium, vt ex tabula æquationis conſtat. Hac tabella annorum compoſita, ſtatim ſciemus, à quo anno inchoanda ſit numeratio in tabella literarum Dominicalium. Hac ratione, vt in

| |
|---|
| 3500 |
| 3528 |
| 3556 |
| 3584 |
| 3612 |
| 3640 |
| 3668 |
| 3696 |

proximo exemplo perſiſtamus, ſub numero antiquo III numerationem auſpicabimur ab anno 3584. qui proxime minor eſt in tabella annorũ quam propoſitus annus 3600. qui cadet in cellulam duarum literarum b, A. vt prius.

Facilima porro eſt conſtructio tabulæ æquationis. Progreditur enim per omnes annos cẽteſimos, qui Biſſextiles nõ ſunt, omiſsis centeſimis Biſſextilibus, quia in illis ordo literarum Dominicalium interrumpitur, in his vero non. Itaq; poſt ternos quoſq; centeſimos vnus annus centeſimus relinquitur in tabula, cum ille ſit Biſſextilis. Deinde, vt vides, numeri antiqui I. II. III. ordine repetũtur.

Ex his nõ difficile erit cuilibet ex noſtra tabella perpetua decerpere tabellam particularẽ ſuo tempori deſeruientem. Si enim tabella 28. literarũ Dominicaliũ componatur, principio ſumpto á cellula illius numeri antiqui, qui in tabula æquationis cuilibet anno centeſimo reſpondet, confecta erit tabella deſeruiens ab eo anno cẽteſimo vſq; ad annũ centeſimũ, qui in tabula æquationis ſequitur, excluſiue: ita tamen, vt ex primis duabus literis anno illi centeſimo, à quo vſus tabellæ incipit, reſpondẽtibus inferior aſſumatur, relicta ſuperiori. Hac arte cõſtructa eſt ſequens tabella, cuius vſus incipit ab anno 1800. duratq; vſq; ad finẽ anni 1899. hac lege, vt anno 1800. litera Dominicalis ſit e, inferior primarũ duarũ f, e, Sequenti deinde anno 1801. litera Dominicalis ſit d, &cæt.

¶ *Tabella literarum Dominicalium ab anno 1800. vſque ad annum 1900. excluſiue.*

Expe-

| | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| f | d | c | b | A | f | e | d | c | A | g | f | e | c | b | A |
| e | | | | g | | | | b | | | | d | | | |

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| g | e | d | c | b | g | f | e | d | b | A | g |
| f | | | | A | | | | c | | | |

Expeditè quoque eandem literam Dominicalem cuiuſque áni perpetuo inueniemus tam ante correctionis ánum quam poſt, ex antiquo cyclo Solari, ſeu literarum Dominicalium 28. ánorum, quo ad hác vſque diem Eccleſia vſa eſt. Hic autem, vna cum tabula æquationis, quæ per omnes ános cēteſimos progreditur, ita vt quartꝰ quiſq; cēteſimꝰ ſit Biſſextilis, & tunc idem numerus átiquus repetatur, ita ſe habet.

¶ *Cyclus Solaris, ſeu literarum Dominicalium antiquus 28. annorum perpetuus.*

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| V | | | | VII | | | | II | | | | IIII | |
| g | e | d | c | b | g | f | e | d | b | A | g | f | d |
| f | | | | A | | | | c | | | | e | |
| | | VI | | | | I | | | | III | | | |
| e | b | A | f | e | d | c | A | g | f | e | c | b | A |
| | | g | | | | b | | | | d | | | |

Inuenturus ergo literam Dominicalem quocunque áno dato: *V*ide in tabula æquationis, qui numerus antiquus ad ſiniſtram áni propoſiti, vel (ſi is in tabula non eſt deſcriptus) anni proxime minoris reperitur, eúque in cyclo Solari nota. Ab hoc enim incluſiue ſi numeres tot cellulas literarum Dominicalium, dextrorſum procedendo, & iterum, ſi opus fue-

| Anni Dñi. | | Anni Dñi. | | Anni Dñi. | |
|---|---|---|---|---|---|
| V | 1. | II | 2600 | V | 4000. Biſſ. |
| V | 1582 | III | 2700 | VI | 4100 |
| Detractis x. diebꝰ | | III | 2800. Biſſ. | VII | 4200 |
| I | 1582 | IIII | 2900 | I | 4300 |
| I | 1600. Biſſ. | V | 3000 | I | 4400. Biſſ. |
| II | 1700 | VI | 3100 | II | 4500 |
| III | 1800 | VI | 3200. Biſſ. | III | 4600 |
| IIII | 1900 | VII | 3300 | IIII | 4700 |
| IIII | 2000. Biſſ. | I | 3400 | IIII | 4800. Biſſ. |
| V | 2100 | II | 3500 | V | 4900 |
| VI | 2200 | II | 3600. Biſſ. | VI | 5000 |
| VII | 2300 | III | 3700 | VII | 5100 |
| VII | 2400. Biſſ. | III | 3800 | VII | 5200 Biſſ. |
| I | 2500 | V | 3900 | I | 5300 |

fuerit, à principio cycli incipiendo, quot Vnitates in numero cycli Solaris currēte (quem ex canone 3. inuenies) continentur, incides in cellulam literæ Dominicalis, quam quæris. Quæ ſi fuerit ſimplex, annus propoſitus cōmunis erit, ſi vero duplex, Biſ ſextilis: exceptis illis annis centeſimis, in quibus intercalaris dies omittitur, cuiuſmodi ſunt omnes illi, ac ſoli, quibus in tabula æquationis ſyllaba (Biſſ.) appoſita non eſt. In his enim, quoniam cō-munes ſunt, inferior litera ex duabus inuentis aſſumenda eſt relicta ſuperiori, quoniam hæc in præcedenti anno fuit Dominicalis. In centeſimis alijs Biſſextilibus, quales ſunt omnes illi, quibus ſy-

ſyllaba ( Biſſ. ) adiuncta eſt, vtraq; litera eſt accipieda, quemadmodum in alijs annis Biſſextilibus.

Exemplum. Anno 1699. reſpondet in tabula æquationis numerus antiquus I. prope numerum 1600. proxime minorem. Cum ergo anno 1699. numerus cycli Solaris ſit 28. numerãdæ erunt 28. cellulæ literarum Dominicaliũ, initio facto ab ea. ſupra quam numerus hic I. poſitus eſt, vſq; ad d, quæ erit litera Dominicalis eo anno, tertia poſt Biſſextum. Rurſus anno 1700. reſpondet in æquationis tabula numerus antiquus II. eſtq; numerus cycli Solaris I. In prima ergo cellula literarum Dominicalium ſub numero antiquo II. ex duabus literis d, c, inferior erit litera Dominicalis illius anni, quia communis eſt, & ſuperior litera d, fuit Dominicalis in præcedenti anno 1699. vt in proximo exemplo patuit. Poſtremo, anno 2000. reſpõdet in tabula æquationis numerus antiquus IIII. numerus autem cycli Solaris tunc eſt 21. Quare ſi numerentur 21. cellulæ literarum Dominicalium initio facto à cellula huius numeri antiqui IIII. inuenientur duæ hę literæ b, A. quæ ambæ Dominicales erunt eo anno, cum Biſſextilis ſit. Porro via hæc multo facilior eſt in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani per tabulam ſeptem cyclorum literarum Dominicalium expanſam, vbi etiam commodiſsima ratio traditur beneficio rotæ mobilis.

CANON

# CANON V.

## ¶ DE INDICTIONE.

Indictio eſt reuolutio 15. annorũ ab 1. vſq; ad 15. qua reuolutione peracta, iterũ reditur ad vnitatẽ, initiumq; ſumit quilibet annus huius cycli à Ianuario in bullis Pontificijs, ſicut de cyclo decennouennali Aurei numeri ſcripſimus. Et quoniã indictionis frequens vſus eſt in Diplomatibus, & ſcripturis publicis, facile annũ indictionis currentẽ quolibet anno propoſito inueniemus ex ſequẽti tabella, cuius vſus perpetuus eſt, initium tamen ſumit ab anno correctionis 1582.

¶ *Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582.*

| | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. | 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. |

Nam ſi anno 1582. tribuas primum numerum, qui eſt 10. & ſequenti anno 1583. ſecundum numerum, qui eſt 11. & ſic deinceps vſq; ad annum propoſitum, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcunq; eam percurreris, cadet annus propoſitus in indictionem, quę quæritur.

Quoniam vero moleſtum eſt, ac laborioſum, tot annos in dicta tabella percenſere, redeundo ſæpius ad eius principium, quouſq; anni propoſiti indictio reperiatur, præſertim ſi annus propoſitus longe ab anno 1582. abſit, confecimus hanc aliam tabulam, ex qua ſine magno labore indictio cuiuſuis anni tam ante annum 1582. quam poſt, inuenietur hoc modo.

Tabula

| Anni Domini | Indictio Adde 3. | Anni Dñi. | Indictio Adde 3 |
|---|---|---|---|
| 1 | 1 | 80 | 5 |
| 2 | 2 | 90 | 0 |
| 3 | 3 | 100 | 10 |
| 4 | 4 | 200 | 5 |
| 5 | 5 | 300 | 0 |
| 6 | 6 | 400 | 10 |
| 7 | 7 | 500 | 5 |
